

IHS

# PHILIPPI RVBENI
# ELECTORVM
# LIBRI II.

In quibus antiqui Ritus, Emendationes, Censuræ.




 EIVSDEM 

ad IVSTVM LIPSIVM Poëmatia.








ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃC. VIII.

# NOBILISS. ET AMPLISS.

# DOMINO

# IOANNI RICHARDOTO

## SENATVS BELGICI

## PRINCIPI.







Ximia profectò dignitas est eorum qui ſedent in puppi, clauumque Reipub. tenent ac gubernant. Sunt enim arbitri rerum humanarum, imò velut mens & anima ciuitatis, ac ſupremi rectoris vmbra quædam & imago. Verùm hanc fortunam vt multi cupiunt, ita pauci numero capiunt. Ad ſcientiam principem & dominam (ita ciuilem hanc Peripateticorum ille coryphæus indigitat) magnis opus eſt præſidiis & adiumentis. Habet ampliſſimus iſte honos ſuum onus, cui ſuſtinendo prudentiâ ac virtute, quaſi gemino tibicine, fulciri debet. *Plura* enim, vt benè animaduertit hiſtoricorum prudentiſſimus, *in ſummâ fortunâ auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geruntur.* Idcirco dux ille Græciæ, quod præclarè notat eloquentiæ Romanæ antiſtes;

numquam optat, Aiacis vti ſimiles decem habeat, ſed vt Neſtoris: id ſi contigerit, non dubitat, quin Troiam, cùm facili negotio, tum breuiſſimo tempore, ſit expugnaturus. Et his te gradibus, PRAESES AMPLISSIME, qui noſtræ es ætatis Neſtor, &, vt ille,

——— * βροτῶν ὄχ' ἄριστος ἁπάντων
Βουλῇ καὶ μύθοισιν,

*--hominũ longè optimus vnus Consilio & sermone.

in id euectum videmus, ſuper quod aſcendi non poteſt. Hinc ſingularis illa SERENISS. erga te PRINCIPVM caritas: ſed & omnium, quotquot ipſis triginta vel ampliùs abhinc annis hiſce regionibus cum imperio pręfuerunt. Mira certè res, & pænè ſupra fidem, diuerſis ex æquo placere, & apud plures vnum eumdemque gratiæ & auctoritatis locum obtinere. Sed nimirum magnæ virtutis ea vis eſt, vt ſine lenociniis, ſine conciliatriculis ipſa ſe commendet; & quamuis nihil ad gratiam faciat, omnia tamen ſint grata quæ facit. Quinetiam vel inuitam vltrò ipſe veſtigat & ambit Honor: vtque prouidus ac diligens nauarchus nauigandi peritiſſimos, architectus ædificandi, legit & aſſumit; ita boni prudentéſque Principes eos aſciſcunt ſibi conſiliarios & adiutores, quos aptiſsimos ad Rempub. & idoneos maximè iudicant. Cuius quidem ordinis atque loci non minùs meri-

meritis quàm dignatione ſine controuerſiâ longè tu princeps, qui congeſtis omnibus à Deo bonis, ita imples omnia, quemadmodum alij ſingula; prætérque excellens ingenium, raram doctrinam, multarúmque notitiam linguarum (quas quidem ſingulas ſic tenes, nullam vt aliam ſcire videaris) eam prudentiam eúmque rerum vſum poſsides, vt viri πολιτικωτάτου germana quædam effigies & ſimulacrum exiſtas. Quicquid grauiter ac prudenter in legationibus obeundis, fœderibus ſanciendis, omníque adminiſtratione Reipub. ex quo Dei benignitate gubernaculis admotus es, in terrâ Belgicâ geſtum eſt, id eſt eâ quâ nulla noſtro ſæculo vel fortunæ ludo magis exercita; vel plures & maiores rerum conuerſiones & vidit & ſenſit, tuâ potiſsimùm ope, tuo conſilio geſtum eſt. Quòd pro tempeſtate & procellâ belli Gallici, quæ tam atrociter in nos detonuit, priſtina ſerenitas, velut poſtliminio, reſtituta: quòd ab Angliâ tranquillitas, & Alcedonia in illo mari, quod decumanis anteà fluctibus agebatur: quòd libera denique cum vtroque regno commercia, & quibus vnaquæque præ ceteris abundat regio, cum vicinis ea liberaliter participat, teterrimæque belli clades in bona pacis conuerſæ ſunt: id optimis

quidem PRINCIPIBVS, quorum auſpiciis, ſed & tibi, cuius maximè ductu res geſtæ, acceptum ferri debet. Et, Deo faciente, iam accedet palma tertia: iam aliquando Chriſtianum —— *pax miſſa per orbem*

*Ferrea belligeri compeſcet limina Iani.*

Ita ſpondent tum induſtria ac prudentia tua, tum illud dulce loquendi pondus, quo in quamuis cumque partem animos inclinas, & Gallicani inſtar Alcidę, leni quadam & blandâ vi rapis: ſed & neſcio quis Genius, qui conatus tuos ſecundat, & quicquid ſuſcipis, quicquid aggrederis, ad felicem exitum perducit. vt meritò de te dici poſsit; quemadmodum in fabulis Anij regis filiæ quidlibet tactu ſui vertebant

*In ſegetem laticemq́ meri baccamq́ Mineruæ,*

ſic vbique facundiâ, prudentiâ, felicitate tuâ, diſcordiam concordiâ, tumultum otio, bellum pace commutari. O laudem inſignem & omni omnino præconio maiorem! Quid habuit Gręcia, quid Italia pręſtantius? Eat, eat oſtentatrix ſui vetuſtas, triplicíque Pompeij curru laureáque glorietur; multò certè laudabilius fuerit, terna (terna, inquam, animo bonę ſpei pleno) grauiſsimorum incendia bellorum exſtinxiſſe, quibus non tantùm Europa, ſed etiam ſola terrarum vltimarum,

& alio

& alio calentes ſole populi conflagrarint. Iactet illa licet inclyta nomina titulóſque deuictarum cruore gentium óblitos, Nicatoras, Poliorcetas, Callinicos, Aſiaticos, Macedonicos, Africanos; omnibus illuſtrior & tum Deo tum hominibus, qui mite genus ſumus, multò gratior & acceptior titulus PACATORIS. Quòd ſi lumen illud & ornamentum Athenarum Pericles omnibus ſuis & victoriis & præclaris in repub. factis anteposuit, quòd eius operâ pullam nemo veſtem induiſſet; quantâ dignum prædicatione, quòd operâ tuâ pro pullâ candidam omnes ſumunt, omnes quaſi nouum adepti fatum, gaudio geſtiunt & exſultant? quam ego laudationem, quæ eulogia cum vocibus illis publici ſenſus indicibus conferam, quibus communis quaſi parens, & à POTENTISSIMO REGE & SERENISSIMIS PRINCIPIBVS proximus publicæ felicitatis auctor, publicè paſsim & priuatim audis? Nam ita profectò res eſt: ceſſit, ceſſit liuida illa Dea, quæ plerumq; eminentis fortunæ comes. Emerſit è tenebris Veritas, lucémque ſuam latè diſtulit ac diffudit. Nemo non videt, quâ caritate publico te impendas; vtque ſiderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, quaſi in perpetuâ quadam vigiliâ, num-

numquam oculos à republicâ dimoueas, & in tanto rerum vndique accurrentium congeſtu vix otioſum ſpiritum ducas, vt cunctis negotio tuo otium, curâ ac ſollicitudine ſecuritatem præſtes. Sed hæc vnius anguſtiis epiſtolij velle concludere, id verò ſit

—— * σχεδίῃ περάαν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

* magnum rate pertransire profundū.

Ibunt in Faſtos & Annales: & vt quiſque ſcriptorum veritatis erit ſtudioſiſsimus, ita plurimùm in laudum tuarum commemoratione verſabitur. Nos aliqua libanda dumtaxat exiſtimauimus, omnibus vt perſpicuum foret, vel magnitudinis tuæ contemplatione, deligendum vnum ante alios te fuiſſe, cuius ampliſsimum huic paginę nomen inſcriberem: vt eo velut vmbone aduerſus maledicentiæ tela tutus tectúſque eſſem, eiúſque ſolo vel ſplendore, non aliter quàm Achillis aſpectu Phryges ac Barbari, Calumnia, quæ ſemper in procinctu, perculſa pedem referret. Nec enim metuo, ne quis hæc ipſa tenuiora cenſeat, quàm vt offerri decorè tibi poſsint. Notum nimis ac teſtatum, quarum olim artium exſtitiſti cultor, earum nunc eſſe patronum; atque etiam in loco, quando cum influentibus negotiis paria feciſti, laxando paullulùm animo, reſpicere eas & recolere. Neque verò minùs apud omnes peruulgata facili-

facilitas & humanitas tua ſingularis, & illa difficillima comitatis cum grauitate ſocietas. Poſtremò ſcitur (& quo ſciatur, nihil ego reliquum mihi facio) quibus & quantis tibi beneficiis ſim vadatus. Conſtat me profluxiſſe è fonte domus ac diſciplinæ tuæ, quamque præcipuam duco felicitatis meæ partem, ære & librâ tuum eſſe, meoſque adeò labores ex aſſe tibi deberi. Quod igitur non modò conſuetudinis muta lex, verùm etiam officij ſanctiſſima religio iubet, hoc Amplitudini tuæ ſcriptum, maximam partem Romæ concinnatum, velut ἀνάθημα tutelari Numini, do, dico. Vt optimi conſulas, per ego tuum te Genium obſecro & obteſtor; Deum autem OPT. MAX. votis conceptis veneror, vt publicis te commodis, NOBILISSIME & AMPLISSIME DOMINE, diu commodare, & in hac ſtatione mortali diurnare velit.



AD


VA *cuique sæculo nota, suum insigne. Nostrum hoc loquax atque streperum, & scriptis potiùs quàm factis fecundum. Declarant illi copiosi librorum indices, qui in omni genere litterarum semestri quôque spatio vulgantur, quibúsque vel solis peruolutandis tantúmnon ætas hominis occupetur. Quid facias? hi mores,*

* ——— τοῖοι νῦν βροτοί εἰσιν.

* tales nūc homines sunt.
* tempori seruire.

*Nos etiam, Lector,* καιρῷ λατρεύειν *incipimus, & aliquâ ratione prouidere, ne tacite & absque sonitu vita cursum conficiamus, ac perinde quasi scenica satellitia, silentes hiantésque præteruehamur. Ergo chartis aliquid illeuimus, & operam Criticæ dedimus, quam haut parùm multi superuacaneam, neque minùs hodie fugiendam, quàm in sano corpore Chirurgiam volunt. Quod vtinam ita res haberet, ac nihil vsquam nobis erratorum mendorúmque reliquum elegantium & eruditorum hominum acumen & industria fecissent! Melius certè cum libris, meliùs cum litteris ageretur, neque toties inter legendum velut in rupes & scopulos impingeremus. Verumtamen si quis tam læuus aut cæcus animi, nihilo minus vt nigrum apponendum mihi calculum censeat, prouocabimus, vt olim quidam à Philippo*

*Mace-*

*Macedone oscitante & dormitabundo ad vigilem & attentum, à iudice parùm æquo vel neglegenti (nolo dicere, imperito) ad eum qui diligenter animum aduertet, iustísque nostra ponderibus examinabit. Is enim reapse deprehendet, non temerè alicubi ferrum & ignem vsurpatum. Nisi fortè quisquam reperiatur tam ambitiosè tristis, vt in crimen etiam vocet, quæ animi & amœnitatis gratiâ, velut acroamata quædam, in medium adduxi. Quæ sanè defensione opus non habent, cùm nota ampliationis, hoc adiecta consilio, sententiam nostram satis superq; declaret. Sed nec, vt opinor, de genere scriptionis desultorio, déque Ritualibus adiunctis & admixtis. Vt enim*

—— contextæ viridantes floribus herbæ

*suauißimos miscent odores: vt sensum oculorum maximè permulcent*

—— & suaue rubens narcissus,

Et crocus alternâ coniungens lilia calthâ:

*sic ad delectationem & voluptatem Lectoris nihil hac varietate & commutatione aptius. Præiuit etiam* *πάνσοφος *ille* καὶ πανάρετος IVSTVS LIPSIVS,*qui anno superiore proximo reipub. litterariæ, cui dono quodam Prouidentiæ genitus erat, mihíque meo grauißimo tum damno tum dolore est ereptus. Quòd ad membranas & scriptos, quos cito, codices attinet, eorũ vsura partim Louanij, partim Romæ mihi fuit, cùm in Bibliothecâ Vaticanâ, tum eâ quam impenso*

* omni sapientiâ ac virtute præditus.

*pretio comparatam, & omni genere librorum benè instructam, nobilitatis Romanæ planè princeps & inter lumina purpuratorum Patrum* ASCANIVS COLVMNA *fidei curaq́; mea liberaliter commiserat; quáque diutiùs magnâ cum iucunditate, sed & aliquo fortè bono litterarum, vti frui potuissem, nisi parentis imperium, amicorum hortatus ac preces, ipsius denique patriæ reuocantis quasi vox alia nos omnia missa facere & abrumpere coëgisset. Vale beniuole Lector, & his faue, quæ fauorem merebuntur; quæ minùs, condona.*



IN-



# INDEX CAPITVM




## LIBRI I.

# LIBRI II.



THEO-

## THEOGNIS.

Τοὺς ἀγαθοὺς ἄλλος μάλα μέμφεται, ἄλλος ἐπαινεῖ·
Τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίγνεται οὐδεμία.

Ille bonos culpat grauiter, hic laudibus ornat;
Prauorum verò mentio nulla hominum.

# PHILIPPI RVBENI

# ELECTORVM

# LIBER I.

## CAPVT I.

*Mos antiquus in opidis condendis. Depalare quid apud Tertullianum. Vrbs vnde dicta.*



IVERSA sunt hominum studia,

* Καὶ ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται.

Me quidem, vt verum proloquar, antiqua delectant. Quippini? inter vetera tot monimenta, quæ passim in oculos incurrunt,

——* σέβας δ' ἔχει εἰσορόωντα.

Itaque paullatim è Scriptoribus collectum imus, quæ maximè eò facere videntur, vt varijs inter se locis comparatis & quasi collisis abstrusum veritatis lumen effulgeat. Specimen aliquod in his libellis vnà cum Criticis dabimus, & initium quidem ab opidis condendis, ominis caussâ, sumemus. Primùm igitur obseruo, palis siue terminis, qui opidum conditurí essent, spatium ei destinatum signasse & finisse. Liuius lib. I. Pomerium dicit esse *circa murum locum, quem in condẽdis vrbibus quondam Etrusci, quà murum ducturi erant, certis circa terminis inauguratò consecrabant.* Ex quibus verbis, non tam muri locum, quàm largiùs quicquid pomerij esset, terminabant. Ita & Varro IV. De L. L. *Cippi pomerij sunt circa Romam.* Tacitus de Româ vetere, lib. XII. *Inde certis spatijs lapides per ima montis Palatini.* Tertullianus hoc dixit meo animo, *Depalare.* vt in Apologet. cap. X. *Mons, quem incoluerat, Saturnius dictus; ciuitas, quam depalauerat, Saturnia vsque nunc est.* Et Metaphorâ scitâ, aduersus Hermog. cap. XXIX. *Omnia opera sua Deus ordine consummauit,*

* Et alia res alij voluptatem creat.

* — habet stupor aspicientem.

*summauit, incultis primò elementis depalans quodammodò mundum, dehinc exornatis velut dedicans.* Nec aliter aduersus Marcionem lib. v. cap. vi. de Paullo Apostolo : *Nam quòd architectum se prudentem affirmat, hoc inuenimus significari depalatorem disciplinæ diuinæ.* Vbi quod interpretes explicant, *Propalatorem,* & quasi à palàm deducunt, haud placet, & priores sanè loci refutant. Sed architectum ille explicat quasi conditorem, & qui fines posuerit disciplinæ diuinæ. Ergo primùm termini. quid deinde? Aratrum terræ impressum formâ & modo, quem Cato apud Isidorum promit, lib. xv. *Qui vrbem nouam condit, tauro & vaccâ aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portam esse vult, aratrum sustollat & portet, vt portam vocet.* Similia aut plura Io. Zonaras in Romulo: Ῥωμύλος θάψας τὸν ἀδελφὸν ᾤκισε τὴν πόλιν, καὶ βοῦν ἄῤῥενα συζεύξας θηλείᾳ, καὶ ἀρότρῳ ὕνιν χαλκῆν ἐμβαλών, αὐτὸς μὲν αὔλακα βαθεῖαν κυκλοτερῆ περιήγεν. οἱ δὲ ἑπόμενοι τὰς βώλους, ἃς ἀνίστη τὸ ἄροτρον, εἴσω πάσας τῆς αὔλακος περιέστρεφον. καὶ ὅπου μὲν ἔμελλε τὸ τεῖχος ἀνίστασθαι, καθὼς εἴρηται, ἡ αὖλαξ ἐτέτμητο· ἔνθα δὲ πύλας στῆσαι διενοοῦντο, διάλειμμα ἐποιοῦντο τῆς αὔλακος, τὸ ἄροτρον ἀνέχοντες ὕπερθεν. Πᾶν μὲν γὰρ τεῖχος νομίζουσιν ἱερόν. τὰς δὲ πύλας εἴπερ ἥγηντο ἱερὰς, οὐκ ἦν τὰ μὲν δι' αὐτῶν εἰσάγειν, τὰ δὲ ἀποπέμπειν τῶν ἀναγκαίων καὶ μὴ καθαρῶν. *Romulus cùm fratrem sepelisset, vrbem condidit, & bouem marem vaccæ adiungens, æreumque vomerem aratro inserens, ipse sulcum profundum in orbem circumduxit. qui sequebantur, glebas, quas aratrum excitasset, omnes intra sulcum reiiciebant. Atque vbi murus extruendus erat, vt dictum est, sulcus ducebatur: vbi verò portas statuere volebant, interruptio sulci atque interuallum fiebat, aratro sublato. Nam omnem murum sanctum arbitrantur. Quòd si idem in portis, tum nec inferre nec efferre per eas necessaria liceret & quæ non pura.* Similia Plutarchus in eâ re, imò ab ipso Zonaras, qui sæpè eum transscribit. nisi quòd vbi hîc αὔλακα βαθεῖαν κυκλοτερῆ περιγράφει, *sulcum profundum in orbem circumducit*; ille αὔλακα βαθεῖαν περιάγει τοῖς τέρμασι, *sulcum profundum circumducit terminis.* vbi benè hoc de terminis tangit, & non facit priscam Romam circularem: vti certè nec fuit. Dionysius quidem disertè, vbi hæc narrat, περιγράφει τετράγωνον σχῆμα τῷ λόφῳ, *colli quadrangulam figuram circumscribit*: & Festus indicat in voce Quadrata. Addit Dionysius: Ἐξ οὗ Ῥωμαίοις τοῦτο τῆς περιαρόσεως τῶν χωρίων ἐν οἰκισμοῖς πόλεων παραμένει. *Ex quo Romanis istud de circumaratione in*

*condendis*

*condendis opidis hodieque manet.* Varro hoc quoque totum, vt pleraque antiquitatis (exstaret modò) monuit lib. IV. De L.L. *Opida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est, iunctis bobus tauro & vaccâ interiore, aratro circumagebant sulcum. Terram vnde exscalpserant, Fossam vocabant, & introrsum factum, Murum. Posteà quod fiebat orbis, Vrbs.* Sed quod est *introrsum factum*, putarem meliùs, *iactū.* vti ex Zonarâ & Plutarcho discimus fieri solere. Cumulus scilicet ille terræ, siue porca altior appellata Murus. De hoc sulco & Festus: *Primigenius sulcus, qui in nouâ vrbe condendâ tauro & vaccâ designationis caussâ imprimitur.* Tangit Isidorus: *Vrbs vocata ab orbe, vel ab vrbo parte aratri, quod in vrbe condendâ adhiberi solet.* Et Pomponius tit. De verb. sign. *Vrbs ab vrbo appellata est. vrbare est aratro definire. & Varus ait, vrbum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condendâ adhiberi solet.* Hinc est illud,

*Optauitque locum regno & concludere sulco.*

Sed & Manilius de toto more, lib. IV.

*Vrbibus augebit terras, iunctisque iuuencis*
*Mœnia succinctus curuo describet aratro.*

Et signum coloniæ opidíve conditi taurus & vacca, aut alter eorum, in numis passim. Quod ipsum Romæ in veteri vrbe Tacitus agnoscit XII. Ann. *Foro Boario æneum tauri simulacrum aspicimus, quòd id genus animalium in condendis opidis aratro subditur.* Et Xiphilinus de Commodo: Τὴν δὲ Ῥώμην ἀθάνατον, εὐτυχῆ κολωνίαν, οἰκουμένην τῆς γῆς (καὶ γὰρ ἄποικον αὐτὴν ἑαυτοῦ δοκεῖν ἐβούλετο) ἐπωνόμασε. καὶ ἀνδριάς τε αὐτῷ χρυσοῦς χιλίων λιτρῶν μετά τε ταύρου καὶ βοὸς θηλείας ἐγένετο. *Romam immortalem, fortunatam coloniam, orbem terrarum appellauit. volebat enim omnino vrbem suam esse coloniam videri: & ideò statua ei aurea mille librarum cum tauro & vacca posita est.* Nec verò in condendis solùm opidis, sed & euertendis, adhibitum aratrum. Seneca de Clement. lib. I. cap. vlt. *Inijcere tectis ignem, aratrum vetustis vrbibus inducere, potentiam putat.* Horatius:

*—— imprimeretque muris*
*Hostile aratrum exercitus insolens.*

Adde ICtum L. XXI. Quibus mod. vsusfr. amitt. & satis erit exemplorum. At frustrà est totaque errat viâ Cælius Rhodiginus, cùm hæc verba Ciceronis, *vt vexillum videres, & aratrum circumduceres,* ad excidium referenda censet, quæ nemo non videt

ad deductionem coloniæ pertinere. Sed non est lege agendum cum eo, cui nihil pensius fuit, quàm multa concẽturiare, numerumque librorum & grandes titulos ac lemmata venditare. Extremum erit quod Festus scribit in *Quadrata*: locum ante templum Apollinis in Palatio sic dici, *vbi reposita sunt, quæ solent boni ominis gratiâ in vrbe condendâ adhiberi.*

## CAP. II.

## *De communi loco quid præter Plautum Artemidorus.*

PRologus Plautinus, sed non Plauti, sic ait:

*Eâ tempestate flos poëtarum fuit,*
*Qui nunc abierunt hinc ad communem locum.*

Clara res est, omnesque scimus eum significari locum, quò imus omnes. Tamen quia sumpta ea dictio è communi vulgi sermone, pro bono facturus mihi videor, si fido teste firmem. Is est Artemidorus lib. I. cap. LXXX. Narrat quendam per somnium *sibi visum in lupanar ingredi, nec posse inde retroïre. Is*, inquit, *post aliquot dies mortuus est. meritò.* Κοινὸς γὰρ ὁ τόπος οὗτος καλεῖται, ὡς καὶ ὁ τοὺς νεκροὺς δεχόμενος. *Communis enim locus ille appellatur, vt & is qui mortuos suscipit.*

## CAP. III.

## *Ciceronis oratio pro Sullâ mendis aliquot expurgata.*

POst tot eruditos homines, qui in Cicerone emendando multum & laboris & operæ consumpserunt, superesse videntur quæ notemus. Oratione pro Sullâ Cicero in Torquatum inuehitur, quòd ab eo peregrini esset nomine affectus. Sic enim inter alia:

*Ac si, Iudices, ceteris patricijs me & vos peregrinos videri oporteret; à Torquato tamen hoc vitium sileretur. Est enim ipse à materno genere municipalis.*

Vitij vox hîc vitiosa, & substituam libens, *conuitium*. Peregrinitatem enim vitium, nisi valdè ἀκύρως haud dixeris. Quod inferiùs, pollutum videtur:

*Permitto*

*Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti. Sed nisi aliquem modum vitæ constitueris, coges oblitum me nostræ amicitiæ habere. rationem meæ dignitatis.*

Cur enim modum vitæ hîc postulet? imò linguæ. Sed vera lectio scripti libri: *aliquem modum tute constitueris.*

*Nemo vnquam me ne tenuissimâ quidem suspicione perstrinxit, quem non peruerterim.*

In membranis reperio, *quem non pertulerim ac perfregerim*. Verè, si *perculerim* legas.

*Ac si considerare cœperis, vtrùm magis mihi hoc necesse fuerit facere, an tibi: intelliges honestiùs te inimicitiarum modum statuere potuisse, quàm me humanitatis.*

Est inibi, *an istud tibi*. quod verbum sententiæ planè est opus: quia defendere sibi Cicero sumpserat; Torquatus accusare.

## CAP. IV.

### *Ciceronis lectio defensa. Vehens pro eo qui vehitur.*

MVlta quidem Dionysius Lambinus in Cicerone correxit; quædam verò deprauauit. velut in hoc loco è Bruto, siue De claris Oratoribus:

*Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis volantem transuersa incurrit misera fortuna reipub.*

Sic ipse edidit, cùm antè libri *vehentem* haberent: quod negat ferri posse, ceu ineptum loquendi genus. *Nam equus, currus, quadrigæ vehunt; non autem res vlla vehit equo, curru, quadrigis.* Téne hoc dicere, ijs litteris, eâ eruditione virum? Ineptè igitur locutus est Quadrigarius Annal. VI. *Ei Consuli pater Proconsul obuiam in equo vehens venit, neque descendere voluit.* Liuius apud Carisium lib. II. *Ibi manens sedeto, donicum videbis me carpento vehentem domum venisse.* Apul. I. Miles. *Equo peralbo vehens.* Lampridius Elagabalo: *Quæ earum carpento, quæ equo veheret.*

* Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἐστὶν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
Ἀνθρώπους. ———

*Humanum est labi, errare, nescire, decipi.*

* *At non est homini vigilanti perpetuò esse.*

## CAP. V.

### *De die Lustrico plura veterum scriptorum loca. Diuersus is pro sexu. Aristoteles & Plautus explicati.*

DE Lustrico die quod variè scriptum est, & ἀξιομνημόνευτον videtur, hoc capite exequi, & vno velut fasce complecti mens est. Et, vt exordiar à Festo, *Lustrici dies*, ait, *infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur*. Ergo purgātur tunc lustranturque, &, spe bonâ iam vitæ, nomina imponuntur. Discrimen hoc in vtroque sexu de die lustrico etiã Plutarchus obseruauit in Quæst. Rom. CII. Διὰ τί τῶν μὲν παίδων τοῖς ἄρρεσιν ἐνναταίοις, ταῖς δὲ θηλείαις ὀγδοαίαις τὰ ὀνόματα τίθενται; *Quare pueris maribus nono die, puellis octauo nomina imponunt?* & caussas deinde suas addit. Idem Macrobius I. Saturn. cap. XVI. *Est etiam Nundina Romanorum Dea, à nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. Est autem lustricus dies, quo lustrantur, & nomen accipiunt: sed is in maribus nonus, octauus est feminis*. M. Antoninus Imperator mutasse videtur, ac tricesimum diem præfinisse. Ita enim Capitolinus de eo: *Iussit apud Præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimam diem nomine imposito*. Vbi tamen alij legunt, *intra tertium diem*. Nomina autem hæc dare proximi sæpè solent, qui ritus hodieque valet. Suetonius Neronis cap. VI. *Futuræ felicitatis signum euidens lustrico die exstitit. Nam C. Cæsar, rogante sorore, vt infanti ei, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, eius dare se dixit*. Vbi nomen pro prænomine capiendum, quia ipsa gentilia nomina certa semper eademque erant; at Prænomina modò mutabant. Hoc ipsum de propinquis Polyænus indicat, Stratag. lib. VI. exemplo VI. de Iasone, qui nato sibi puero, primores Thessalorum ad conuiuiũ vocauit, vt nomen puero imponeretur, atque in ijs fratrem Merionem, vt is primas in eo actu teneret. Imò totum hoc Romani à Græcis sumpsere, etsi in die leuiter dissidentes. Nam Græcis decimus erat qui istis nonus. Præter alios Suidas: Δεκάτην ἑστιᾶσαι. Ἔθος ἦν παίδων γεγενημένων τοῖς Ἀθηναίων ἀστοῖς τῇ δεκάτῃ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς γενέσεως συγκαλεῖσθαι τοὺς περὶ πατέρας

τρὸς δὲ μητρὸς οἰκείους καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους, καὶ παρόντων ἐκείνων τὰ τ' ὀνόματα τοῖς παισὶ τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς. ἔπειτα τοὺς συνεληλυθότας εὐωχεῖσθαι: *Decimam conuiuari. Mos erat cùm pueri nati essent Atticis ciuibus, decimâ noctium à natali conuocari paternos maternosque cognatos & amicorum proximos, atque ijs præsentibus nomina pueris dare, & Dijs sacrificare; denique qui conuenissent conuiuari.* Aristophanes in Auibus de hoc ritu:

Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ;
Καὶ τ' οὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ θέμην.
*Non ergo decimam nunc sacrifico ob hanc ego?*
*Et nomen illi iam velut puero dedi.*

Vbi Scholiastes: Σαφὲς ὅτι τὰ ὀνόματα τῶν παίδων ἐτίθεσαν τῇ δεκάτῃ. *Notum quòd nomina infantibus imposuerunt decimâ.* Sed & Euripides in Electrâ:

Ἤκουσας, οἶμαι, τῶν ἐμῶν λοχευμάτων.
Τούτων ὕπερ μου θῦσον· οὐ γὰρ οἶδ' ἐγώ·
Δεκάτῃ σελήνῃ παιδὸς, ὡς νομίζεται.
*Et partionem audisti, opinor, tu meam.*
*Pro me sacrifica (ego ipsa ritum nescio)*
*Decimâ puelli luce, sicut mos habet.*

Ita isti. At Aristoteles de septimo die scribit, quod miremur. In Historiâ Animalium lib. VII. cap. vltimo: Τὰ πλεῖστα δὲ (παιδία) ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδομῆς· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῆς σωτηρίας. *Plerique puerorum moriuntur ante diem septimum: ideoque & nomina tunc imponunt, tanquam iam de salute magis fidentes.* Sed licet accipere *tunc* non ita strictè, nempe circa & post septimum diem. Plautus non mouebit, qui in Truculento, quasi ex more Græciæ:

*Quin Dijs sacrificare hodie pro puero volo.*
*Quinto die quod fieri oportet.* DIN. *Censeo.*

Nam illa sunt Amphidromia Græcorum, quinto die vsitata. de quibus Suidas, Hesychius & Athenæus. At nostra hæc sunt Nominalia ab illis diuersa. Dico Nominalia: nam & sic ille dies appellatus. In Glossis: *Nominalia*, ὀνομαστεία. Tertullianus de Idololatriâ cap. XVII. inter officia priuatarum sollennitatum recenset *Nuptialia, Nominalia,* quibus, vt mox significat, *nomen solet imponi.* Atque hæc de Lustrico die.

## CAP. VI.

### *Quis Antiochus rex apud Plautum.*

LEpidè & facetè à Plauto ſcriptum in Pœnulo:

*—— vbi ego curer molliùs,*
*Quàm regi Antiocho oculi curari ſolent.*

Sed enim quæ cauſſa huius dicti? Lambinus & alij negant quicquam ſuper hac re legiſſe. Ego videor aliquid, parum plenè, & ab Hiſtorico in rebus grauibus, ὡς ἐν παρόδῳ ſcriptum, tamen quod ſatis ſit ad rei fidem. Antiochus Syriç rex, Seleuci Callinici filius ſolitus ex oculis laborare, & vti medico Apollophane in his alijsq́ue rebus magis arduis curandis. Colligimus ex Polybij v. vbi narrat Hermeæ cædem, concinnante hoc medico & annuente rege patratam: Συμφρονήσαντες, inquit, μετὰ ταῦτα καὶ προβαλόμενοι σκῆψιν, ὡς σκοτωμάτων τινῶν ἐπιπεπτωκότων τῷ βασιλεῖ, τὴν μὲν θεραπείαν ἀπέλυσαν ἐπί τινας ἡμέρας, & plura quæ addit. Sed ex his vides σκοτώμασι, id eſt, caligini oculorum obnoxium regem fuiſſe; & haud dubiè pro more Syriaco, ſed & regio, molliſſimè curatum. Nam, vt vel obtentus hic morbus inſidijs ( id enim aliquis fortaſſe dixerit) neque re, ſed verbo malè Regi fuerit; vero tamen omnino ſimile eſt, iam antè eodem illo tentatum, fideiq́ue conciliandæ genus morbi ſimulaſſe & notum & familiare. Et quamquam τὸ σκότωμα pro δίνῳ quoque, id eſt, vertigine ſumitur; hîc tamen, & propriè quidem, hebetudinem viſus atque caliginem ſignificat. Idq́ue pòſt paullò modus curationis confirmat per motum & inambulationem matutinam, quæ ad ocularíam ægritudinem proficiant; ad vertiginem non item: quemadmodum pro affectu, & eo quod inter nos eſt

*Alternum ſanctæ fœdus amicitiæ,*

docuit me Lud. Nonnius, qui ſupra liberalem omnem doctrinam καὶ τὴν ἰατρικὴν à patre & auo maiorum gentium medicis velut iure hereditario poſſidet.

## CAP. VII.

### *Restitutio loci Ciceroniani. Velia pro Villâ.*

IN Oratione de Aruſpicum reſponſis:

*P. Valerio pro maximis in rempub. beneficijs data domus eſt in Villâ publicâ; at mihi in Palatio reſtituta: illi locus; at mihi etiam parietes atque tectum.*

Sunt hæc à ratione & veritate longè auerſa. Nam quomodo domus in domo ſit data? cùm ipſa Villa publica ædificium fuerit, quemadmodum in nummis videre eſt: atque adeò in campo Martio, procul ſanè à loco, vbi Valerius, conſenſu omnium, habitauit. Corrigebat Pantagathus, *in Vico publico*: Antonius Auguſtinus in *Viâ ſacrâ*. Vtrumque, ἀέρος πληγή. Nec enim de vico illo poteſt verum eſſe, qui non in regione eâ Palatij, ſed *altæ Semitæ*, vt deſcriptores Vrbis memoriæ prodiderũt; & impoſuit illi viro, cui tamen pleraque veterum litterarum quęſita meditataque erant, corrupta Liuij lectio. Non item de *Viâ ſacrâ*, quia cũ auctore nullo nititur, tum à libris nimium quantum abhorret. Ego meo remigio rem geram:

* *Ὧδε δέ μοι φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι,*

*data domus eſt in Veliâ publica*. Profectò ita res fuit. Cùm in ſummâ Veliâ ædificare Valerius cœpiſſet, idque ſuſpectum populo, tanquam arcem moliretur, *confeſtim* (ait Liuius) *delata materia omnis infra Veliam, &c, vbi nunc Vicæ Potæ eſt, domus in infimo cliuo ædificata*. Et Aſconius, an potiùs Varro, firmamentum addit. Nam Aſconius in Piſonianam ſcribit, Varronem *tradere, P. Valerio Voleſi filio Poplicolæ ædes publicas ſub Veliâ, vbi nunc ædes Victoriæ eſt, populum ex lege, quam ipſe tulerat, conceſſiſſe*. Vica Pota enim & Victoria eadem vna Dea. Docet hoc incomparabilis vir & nullo non præconio maior I. Lipſius lib. II. Quæſtionum Epiſt. & Notis in Ludum Senecæ: atque etiam Iſidorus, diſertè ſcribens, *Viciam* antiquis dictam, quæ nunc Victoria eſt: in quo ſi *Vicam* reſcribamus, habemus hanc Diuam. & in veteri codice legi, *Vitam* pro *Vicam*, quod eſt à *Vico*. Sic enim veteres dixère ſine *n*: vt *Tago, Frago, Pugo*.

* *Sic inquirenti mihi viſum rectius eſſe.*

# CAP. VIII.

## In Cæsare complusculæ correctiones.

COmmentarios Cæsarianos multi studio doctrináque præstantes homines illustrarunt; & nuperrimè quidem Ioannes Brantius vir clarissimus,& à iure ciuili,ab historiâ ac litteris politioribus benè instructus, Notis non modò suis illis perelegantibus & examussim bonis,sed etiam Petri Ciacconij, quas è schedis eius & liturarijs ingenti labore & industriâ collegit, in ordinem redegit, & vnà vulgari curauit. Quo facto cùm studij propensæque in rem litterariam voluntatis illustre specimen dedit, tum magnam ab eruditis omnibus gratiam iniuit. Huius itaque, id est hominis πολὺ φιλτάτυ, ceterorúmque quibus obtigit ea Sparta, pace bonaque cum veniâ, carptim ego quædam & vellicatim è Cæsare libabo.

*Hac re perspectâ Crassus, cùm suâ cunctatione atque opinione timidiores hostes; nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omnium voces audirentur, exspectari diutiùs non oportere; cohortatus suos, ad hostium castra contendit.*

Qui rem & filum narrationis videt, fatebitur contra mentem Cæsaris hæc scribi. Nam quomodo suâ cunctatione Crassus timorem hostibus, alacritatem suis daret? imò contrà prorsus; & detrectantes metum pati solent. Addo, quòd hostes hîc, non Crassus, cunctentur: atque adeò ipse eos vltrò in castris sedentes inuasit. Fuluij liber, *sua cunctatio atque opinio*: nihil pro re. ego sic emendabam: *cùm suâ cunctorumque opinione timidiores hostes*: & statim, numero plurium, *effecissent*. Sententia nimis est clara. De bello ciuili lib. I.

*Eadem ferè atque eisdem de rebus Prætor Roscius agit cum Cæsare, sibique Pompeium commemorasse demonstrat.*

Vir doctus haud iniuriâ resistit, & hęc verba culpat. Quid enim aliud *eadem dicere*, quàm, *eisdem de rebus*? Hoc est verè * δὶς ταὐτὸ εἰπεῖν, quod meritò Comicus inscitiam appellat. Tentabam mederi: *Eadem ferè, atque eisdem diebus*. vt hoc velit, non eadem solùm mandata Roscium pertulisse, sed eodem quoque tempore.

* *Bis idem dicere.*

Quod

Quod verum esse, ex Dione lib. XLI. & ipso hîc Cæsare discimus. Eodem libro:

*Decuriones Auximi ad Actium Varum frequentes conueniunt, docent iudicij sui rem non esse: neque se, neque reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem, tantis rebus gestis, opido mœnibusque prohiberi. Proinde habeat rationem posteritatis & periculi sui.*

Nego hîc aptum esse *posteritatis* verbum: quia præsens istuc omne periculum imminebat, non in posterum exspectabatur. Verius, *potestatis*. Callidè rogant scilicet, nec sine occultis minis: videat cogitétque, non quid velit solùm, sed quid etiam possit. sese vel inuito eo Cæsarem admissuros, nec esse ipsum resistendo. quid autem futurum sic deserto? Paullùm infrà:

*Gladiatores, quos ibi* ( Capuæ ) *Cæsar habebat, in forum productos Lentulus * libertati confirmat, atque ijs equos attribuit. quos postea monitus à suis, quòd ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familiares conuentus Campaniæ, custodiæ caussâ, distribuit.*

* Lips. libertate.

Implexè & morosè dictum videtur, *familiares conuentus Campaniæ*. Qui enim isti sunt? Cicero qui in locis vicinis, & tantumnon in re præsenti fuit, liquidò ita narrat, vt gladiatores distributi modò sint in vrbe ipsâ. Verba eius lib. VII. ad Atticũ Epist. XIV. *Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, sanè commodè Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum.* Non ergo temerè credimus per alios conuentus Campaniæ distributos. Mihi stat legere: *circum familias conuentus Campani*. Conuentum Campanum accipio ipsos incolas & corpus Capuæ vrbis. Sic *conuentum Vticensem* infrà nominat, sic *conuentum Cordubensem*: sic de hac ipsâ vrbe lib. III. *Periculum veritus, quòd conuentus arma ceperat*. Vide Festum de hac significatione in voce *Conuentus:* & Asconium, atque alios. Iam *Campanus* à Capuâ formatur, non *Capuanus*, quod Varro indicauit lib IX. de L.L. Virgilius etiam:

*Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.*

## CAP. IX.

### *Oratio Ciceronis pro Sullâ duobus locis emendata.*

GVstemus iterum aliquid è Tullianâ suadâ, Oratione pro Sullâ.

*Ego verò quibus ornamentis aduersor tuis? aut cui dignitati vestræ repugno? quid est quod iam ab hoc expetas? Honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus ærumnis venis ad eum lacerandum, quem interemisti; ego iacentem & spoliatum defendo.*

Haud paullò pulcrior meliórque lectio è m. s. eruitur, in quo est: *Tu ornatus eximijs.* Liquet scribendum: *exuuijs.* Imago ab ijs est, qui in bello hostem peremptum armis & ornamentis spoliant, eáque sibi circumponunt. Tale pænè hoc Taciti: *Cùm ex funere Reip. raptis Consularibus spolijs, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas feminas eadem ruinâ prosterneres.*

Et pro vulgatâ lectione;

*Ecquod est huius factum aut commissum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullò minùs consideratum videretur, quæro. Verbum ecquod vnquam ex huius ore excidit, vnde quisquam posset offendi?*

longè concinnior pleniórque libri eiusdem:

*Ecquod est huius factum aut commissum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullò minùs consideratum videretur? Factum quæro? Ecquod vnquam verbum ex huius ore excidit, vnde quisquam posset offendi?*

## CAP. X.

### *In Hirtio non parua rei coniectura, Iubam à Petreio cæsum; non, vt nunc vulgò legitur, hunc ab illo. Florus & Orosius obiter correcti.*

IN Commentario de bello Africo locus est asper & confragosus, quem ὁμαλὸν & planum reddo.

Rex

*Rex interim Iuba ab omnibus ciuitatibus exclusus, desperatâ salute, cùm iam conatus esset cum Petreio, vt per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant, atque firmior imbecilliorem Iuba Petreium facilè ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cùm conaretur gladio traijcere pectus, nec posset, precibus à seruo suo impetrauit, vt se interficeret.*

In phrasi scrupulus, & in ipsâ historiâ, ob dissensum. De phrasi illâ, *cùm iam conatus esset*, scio M. Antonium Muretum * τοσούτου βάθους παιδείας * rescribere, *cùm omnia conatus*. Haud malè; verumtamen, pace tanti viri, verius arbitror, *cùm iam cœnatus esset*. Nam ista post epulas euenisse Florus dicit: *Iuba cùm se recepisset in regiam, magnificè epulatus cum Petreio*. Sed & Appianus hoc factum prodit ἐπὶ τῇ διαίτῃ, *in cœnaculo*. Quod autem ad dissensum, noster hic à Iubâ vult Petreium interfectum, cùm Florus & Liuius contrà. Ego verò nec opinor aliter ab Hirtio scriptum, & planè emendem, *imbecilliorem Iubam Petreius*. Arguunt sequentia sic fuisse, cùm addit superstitem à seruo suo impetrasse. De homine Romano hoc benè, cui serui & liberti; vix de Rege, cui comites aut satellites potiùs tribuisset. Denique nemo Iubam à seruo cæsum tradidit; quidam mutuis eos ictibus perijsse. Seneca ab hac parte, De Prouidentiâ: *Iam Petreius & Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu cæsi*. Item Appianus: Ἰόβας δὲ καὶ Πετρήϊος τῶν γιγνομένων πυνθανόμενοι, ἐπὶ τῇ διαίτῃ ξίφεσι διεχρήσαντο ἀλλήλους: *Iuba & Petreius eorum quæ euenerant gnari, in cœnaculo mutuò se interfecerunt*. Apertè pro Senecâ, vt mirum sit Muretum scribere quòd ab Hirtio sentiat. Sed & Dio in hac sententiâ: Ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδεὶς αὐτὸν ἐδέξατο, ἀπέγνω τε τὴν σωτηρίαν, καὶ τῷ Πετρηΐῳ μηδεμίαν μηδ' αὐτῷ ἐλπίδα ἀδείας ἔχοντι, ἐμονομάχησε καὶ συναπέθανε: *Deinde cùm nemo eum* (Iubam) *susciperet, & desperaret de salute, cum Petreio, qui nec ipse vsquam spem securitatis videret, singulari certamine concurrit, & vnà cum illo mortuus est*. Hæc ita isti; sed Hirtius aliter: ac Florus; *Iuba cùm se recepisset in regiam, magnificè epulatus cum Petreio fugæ comite, super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit & sibi*. Obiter moneo, *cùm se recepisset in regnum*. nam regiam certè non fuit ingressus; neque in hac ea gesta, sed in villâ. Florus autem ait, Petreium sibi ipsi manus attulisse, cæso Iubâ, quod Hirtius negat: & credibile est, meliùs

* *Tam altæ doctrinæ virum.*

* *In Notis ad Sen. De Prouid.*

hunc ſciſſe. Hauſerat hoc ipſum è Floro, de more ſuo, Oroſius: *Iuba percuſſori iugulum, pretio dato, præbuit. Petreius eodem ſe gladio perfodit*. Sed planum & certum eſt, emendandum, *iugulum Petreio præbuit*; & Gloſſematium vel imperitia contaminauit. Altera ſalebra:

> *Quibus rebus Scipio, quique cum eo eſſent comites, mirari & requirere.*

Superſit enim dictio, quam exturbat codex ſcriptus, hoc modo: *quique cum eo eſſent, commirari & quærere*. Compoſitum hoc vſurpat, vt alia multa, Comicorum in morem.

## CAP. XI.

### *Quibus victimis factum in Suouetaurilibus. Dionyſius Halicarnaſſ. emendatus.*

DIuerſæ olim victimæ pro genere ſacrificij, próque Deo Deáve, cui fieret, adhibitæ fuerunt. Suouetaurilibus quidem, vt arbitror, eæ ipſæ quas vox notat & deſignat, Sus, Ouis, Taurus. Ne tamen hoc inter res iudicatas habeatur, facit diſſenſus Dionyſij Halicarnaſſenſis, qui ſacrum hoc inſtruit ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ, *tauro, ariete, hirco*. Hircum videlicet pro ſue ſupponit. Quid ergo? magis illi fides vni, quàm multis erit, bonis & priſcis? Varro, cui talia ſatis exquiſita ſine dubio fuêre, II. De re Ruſt. ſcribit: *Populus Romanus cùm luſtratur Suouetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus*. Enimuerò & ille *ſuem* agnoſcit, ſed marem, quem verrem appellat. Quid Fabius? *Suouetaurilia iam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, oue, tauro.* Feſtus: *Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignificant, tauri, arietis, verris.* Gloſſæ veteres: Solitaurilia, θυσία ἐκ συὸς, κριοῦ, ταύρου: *Sacrificium ex ſue, oue, tauro.* Aſconius de luſtro Cenſorio: *Solitaurilia ſacrificium de ſue, oue, tauro faciebant*. Quid quod etiam hodie Romæ in fornice Conſtantini plurimíſq. locis ſacrum hoc ſpecie trium iſtarum victimarum? Omnino Dionyſij ſcriptio labare videtur, & fortaſſe Græcorum ei ritus in mente, apud quos interdum in tali ſacro hircus. Suidas: Τριττύς, ἡ ἐντελὴς θυσία, ἐκ συὸς, κριοῦ, καὶ τράγου: *Trittys, perfectum ſacrificium, ex ſue, oue, hirco*: At creberrimè ij-

mè ijdem aliter. imò ipsum illud Romanum iam inde ab Homero, Odyss. Λ.

Ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι
Ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.
*Neptuno faciens sacra regi salsipotenti*
*Masculam ouem, & taurum, suibus verremq; maritum.*

Ibi tamen Eustathius varietatem ostendit. &, Ἰστέον, inquit, ὅτι ἡ τοιαύτη θυσία, τριττύα λέγεται παρὰ τοῖς παλαιοῖς, οἱ τριττύαν ἔλεγον τὴν ἐκ τριῶν ζώων θυσίαν, οἷον δύο μήλων καὶ βοὸς, ὡς Ἐπίχαρμος, ἢ βοὸς καὶ αἰγὸς καὶ προβάτου, ἢ κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου. *Sciendum quòd tale sacrificium Trittya dicitur antiquis. qui ita vocabant ex tribus animalibus sacrum: sicut duarum ouium & vnius bouis, vt Epicharmus; aut bouis, capræ, ouis; aut verris, arietis, tauri.* Postremus hic ternio Homeri & noster est. Sicut idem in Hesychio: Τριττύαν, τριάδα, ἔνιοι θυσίαν κάπρου, κριοῦ, ταύρου. *Trictuan, triada, quidam sacrificium verris, arietis, tauri.* Et ampliùs deinde: Τρίκτειρα ἢ τριττύα, θυσία Ἐνυαλίῳ. θύεται δὲ πάντα τρία ἔνορχα: *Tricteira siue Trittua, sacrificium Marti. Immolantur autem omnia tria cum suis testibus.* Significat integra, neque abscissis virilibus (quod in alijs sacris solebat) immolata fuisse. Atque ideò *Solitaurilia* priscâ voce, quòd *harum hostiarum omnium* (verba Festi) *inuiolati sunt tauri, quæ pars scilicet cæditur in castratione.* Tauros appellat ipsas illas res viriles, vt in alijs exemplis. Sed notetur in Hesychij verbis, *Marti factum sacrum.* quod ipsum Dionysius: Τὰ δὲ ἱερεῖα ταῦτα τρὶς περιαχθῆναι περὶ τὸ στρατόπεδον κελεύσας ἔθυε τῷ κατέχοντι τὸ πεδίον Ἄρει. *Eas verò victimas, ter circumductas exercitum, Marti immolauit.* Sed quid igitur in dissensu pronuntiandum? Dionysij scriptorem (hoc malo, quàm ipsum) aberrasse videri; & κάπρῳ pro τράγῳ, *verre* pro *hirco*, substituendum.

## CAP. XII.

### *Ciceroni labes duæ detersæ.*

AD Ciceronem redimus, qui plurimùm nobis in mente & manu. In libris eius, quos emendatos censemus, legitur, pro M. Cælio:

*Quo quidem tempore ille moriens, cùm iam ceteris ex partibus oppressa*

*pressa mens esset, extremum sensum ad memoriam reipub. reseruabat* ( vetus codex, *reuocabat:* ) *cùm me intuens flentem, significabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella vrbi, quanta tempestas ciuitati; & cùm parietem sæpè feriens eum qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebrò Catulum, sæpè me, sæpissimè remp. nominabat: vt non tam se emori, quàm spoliari suo præsidio cùm patriam tum etiam me doleret.*

Quæ ille de Q. Metelli morte insidijs & fraude vxoris conciliatâ narrat, aptatque orationi planè ad suum casum. At quod dicit, *quanta impenderet procella vrbi*: haud germanum videtur, ex ipsâ re, quoniam bis idem dixerit, *vrbi, ciuitati*; & ex librorum dissensu. Quidam enim: *quanta impenderet procella sibi.* Fortè *ciui.* Moriens duo nempe hæc ominabatur & prædicebat: cladem ciui, id est Ciceroni, & cladem patriæ. Ita sensisse eum & dixisse Ciceronis verba satis clarè ostendunt; sed maximè ista: *spoliari suo præsidio cùm patriam tum etiam me doleret.* Vulgatam tamen lectionem non vtique reijcimus; nec ignoramus, inter vrbem & ciuitatem discriminis aliquid esse. Pro C. Rabirio istud corrigo:

*At Diæcetes fuit regius, & quidem in custodiâ etiam fuit regiâ, & vita eius oblata pœnæ est. multa præterea quæ libido regis, quæ necessitas coëgit ferre, pertulit.*

Corrigo, inquam: *& vita eius ablata penè est.* Cicero ipse inferiùs: *Pertulit ipse custodiam, vidit in vinclis familiares suos, mors ob oculos sæpè versata est.* Coniectura, fateor, hæc est; sed apud æquum & cordatum lectorem satis firma. τῷ δὲ Μεγαρέων οὐδεὶς λόγος. Fidentiùs vt loquar, facit assensus & approbatio R. P. Andreæ Schotti; in quo viro, præter pietatem in Deum, animi candorem, humanitatem, & multam accuratamque doctrinam, inexplebile prorsus & incredibile quoddam studium rem litterariam omnimodis adiuuandi.

## CAP. XIII.

### *De duplici Plauti loco coniectura.*

PLauti Sticho:

*Adeunt, perquirunt quid siet caussæ ilicò,*

*Alienum*

*Alienum æs cogat, an pararit prandium?*
*Vxorin' sit reddenda dos diuortio?*

Curiosos ac πολυπράγμονας notat, qui, si quis auctionem instituit, statim quærunt caussas. Obruitúrne ære alieno? an prandiũ instituit? an ab vxore diuortit? & caussæ quidem aliæ satis iustæ & idoneæ; illa remotior & παρὰ δόξαν, de prandio. Obsecro, vniúsne prandij caussâ facienda auctio? valdè ille sit inanis atque inops, qui eo rem absumat. Certum est litteram mutatam, & primitus scriptum fuisse, *praidium*, id valet prædium. Caussæ seriæ sunt, non parasiticæ. Quærunt de ære alieno, de parato emptóve prędio, de dote reddendâ. Huic annotationi libet alteram ἐπιμετρεῖν, è Truculento:

AS. *Erubui mecastor misera propter clamorem tuum.*
ST. *Itáne erubuisti? quasi verò corpori reliqueris*
*Tuo potestatem coloris vlli capiendi, mala.*
*Buccas rubricâ, cerâ omne corpus intinxti tibi.*

Mirum de *cerâ*; magísque placeat, *cretâ*, quæ cum rubricâ aptè iungatur. Nam vterque color in vsu fœminis, quæ *vitia corporis*, vt Plautina ponam verba, *fuco occulunt*. Idem alibi per tralationem:

*Creta est profectò horunc hominum mihi oratio.*

quæ videlicet maculam & sorditudinẽ omnem animo abstersit.

## CAP. XIV.

### *De verbo Populares quædam non protrita. vox Populi latè patens. In Glossario vetere diuinatio.*

VAgamur huc & illuc,
*Floriferis vt apes in saltibus,*
& erraticâ scribendi ratione varia libamus. Et nunc quidem super voce *Populares* adferre quædam mihi visum. Significantur eâ consortes & qui eiusdem cœtus factionísque sunt, ac velut vnius populi. Sallustius: *Catilina cùm ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret*. Seneca De vitâ beatâ: *Mea quidem hæc sententia est (inuitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum & recta præcipere*. Populares vocat suos Stoïcos, in quibus & ipse censebatur.

batur. Sic idem Sallustius: *Quod factum primò populares coniurationis concusserat.* Iterúmque in Iugurthâ, etsi paullò aliter: *Animaduertit fugam ad se versum fieri, quæ res indicabat populares esse.* id est, Romanos & suos milites. Et an non milites etiam interpretemur? In Glossis legitur: *Populares, στρατιῶται.* Quod tamen suspectum; & verius immissâ negatione, *οὐ στρατιῶται: non milites.* Nam ita passim, medio vel inferiore æuo, distincti ferè à militibus, & pro plebeiis & infimo populo vsurpati. Capitolinus in Antonino: *Pestilentia grauis multa millia & popularium & militum interemit.* Spartianus in Nigrino: *Qui esset odio Senatoribus, militibus, prouincialibus, popularibus.* Vopiscus in Probo: *Immissi deinde populares* (è plebe Romanâ) *rapuit quisque quod voluit.* Appuleius lib. IX. *Confususque miles de inertiâ suâ quidquam ad quemquam referre popularium, quosdam commilitones nactus istas tunc clades enarrat.* D. Gregorius de Paullino Nolano: *Ego hunc tanti meriti virum, popularē, vt conspicitur, esse non suspicor.* Posset tamen & in Glossis legi, *Populares, πατριῶται*: qui sunt eiusdem gentis aut patriæ, vt sæpè. Quod autem initio dixi, pro consortibus aut vnius corporis capi, id caussam habet, quia *Populi* vox latè olim ita sonabat, & ad omne ferè corpus aut gregem pertinebat. Sic in Manilio, lib. IV. de piscibus:

*Littoribusque suis populos exponere captos.*

Idem de auibus lib. V.

*Ipse quoque aërios populos cælique ducatum,*
*Altuumque genus, studium censusque vocabit.*

Columella de apibus: *Duo populi coniungi debent.* Appuleius de formicis: *Ruunt aliæ superque aliæ sepedum populorum vndæ.*

## CAP. XV.

### *Lux Hirtio.*

IN Hirtio ita scriptum est Commentario VIII. belli Gallici: *Fit deinde S. C^m vt ad bellum Parthicum legio vna à Cn. Pompeio, altera à C. Cæsare, mitterentur: neq; obscurè hæ duæ legiones vni Cæsari detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem Primam quam ad Cæsarem miserat confectam ex dilectu prouinciæ,*

*Cæsari eam tanquam ex suo numero dedit. Cæsar tamen, cùm de voluntate aduersariorum se exspoliari nemini dubium esset, Cn. Pompeio legionem remisit, & ex suo numero Decimam quintam, quam in Galliâ Citeriore habuerat, ex S.C^to iubet tradi.*
Obscurè & implicatè, nisi cum Fuluio legimus: *ex dilectu prouinciæ Cæsaris, eam tanquam.* Sed & explicanda res est. Cn. Pompeius in tumultu necis Clodianæ, legionem vnam è Gallis Cisalpinis conscripserat: quam posteà Cæsar in Galliæ magno motu ad se mitti petijt: quod ita narratur initio lib. VI. *Simul ab Cn. Pompeio Proconsule petit, quoniam ipse ad Vrbem reip. caussâ maneret, quos ex Cisalpinâ Galliâ Consulis sacramento rogasset, ad signa conuenire & ad se proficisci iuberet.* Vbi videtur legendum diuisim: *Consul is.* cùm scilicet tertiùm Consul esset. Ergo hæc legio est, quam Pompeius suam numerat, quòd fuerat à se lecta; Cæsar suam, quòd in prouinciâ, cui præerat, collecta. Notamus etiam, quę hîc Hirtio *Decimaquinta* est legio, manifestè Cęsari Tertiam esse & scribi lib. III. belli Ciuilis: *Erant in sinistro cornu Pompeij legiones duæ, traditæ à Cæsare initio dissensionis ex S. C. quarum vna Prima, altera Tertia appellabatur.* Qui hæc sine correctione composuerit, næ ille scit conciliaturas.

## CAP. XVI.

### *Quinctiliani locus in Declamat. purgatus.*

PEtrus Pythœus multimodis rem litterariam benè iuuit; non minimùm autem eò quòd bonas & argutas illas Declamationes Quinctiliani primus è tenebris eruit, & emendauit. In earum CCCXL. legas in ipso Themate:

*Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango nouitium puerum per publica rostra iecit prætextatum. dicitur ille liber.*

Istud de publicis rostris suspiciosum, &, quantum cernere mihi datur, haud sincerum est. Legebam: *per publicanos traiecit.* Et sententia hæc est: Mango, vt fraudem publicanis faceret, puerum venalem nouitium in prætextâ quasi liberum & ingenuum

traduxit. Fraus ſucceſſit; ſed lis oritur, & puer aſſeritur in libertatem. Quod ad phraſim, omnino ſimilis in Themate ſequenti: *Quidam rem furtiuam tranſtulit per publicanos.* & prior illa ad aquas & portum ſpectat: cóque aptum *Traiiciendi* verbum. Geminum planè eſt, quod vir ingenio, virtute & eruditione nimiùm quanto præſtabilis, meúſque ſummus & prorſus * ἀτίμητος φίλος, Ioannes VVouerius apud Suetonium legi monuit lib. De claris Rhetoribus: *Venalicij quum Brundiſij gregem venalium è naui educerent, formoſo & pretioſo puero, quòd portitores verebantur, bullam & prætextam togam impoſuere: facilè fallaciam celarunt. Romam venitur. res cognita eſt: petitur puer, quòd domini voluntate fuerit liber, in libertatem.*

* *inæſtimabilis amicus.*

## CAP. XVII.

### *Quid Sinus togæ. Quinctilianus illuſtratus.*


INcredibile eſt, quantum ad pleniorem antiquitatis notitiam valeat obſeruatio numorum, lapidum, aliorúmque veterum monimentorum. Equidem affirmare auſim, haud parùm multa in ſcriptoribus eſſe, quæ vix aliter, quàm ex illis cùm intelligi tum explicari rectè poſſint. Et inter ea, meo quidem animo, quæ ex M. Fabio Quinctiliano, quà veſtis modum Oratori præſcribit, hîc ſubieci.

*Eſt aliquid in amictu quod ipſum aliquatenus temporum conditione mutatum eſt. Nam veteribus nulli ſinus: perquàm breues poſt illos fuerunt. Itaque etiam geſtu neceſſe eſt vſos eſſe alio, quorum brachium, ſicut Græcorum, veſte continebatur.*

Et paullò pòſt:

1. *Sinus decentiſſimus, ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, numquam certè ſit inferior.* 2. *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* 3. *Pars togæ quæ poſteà imponitur, ſit inferior: nam ita & ſedet meliùs & continetur.* 4. *Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat.* 5. *Tum ſinus iniiciendus humero, cuius extremam oram reieciſſe non dedecet.* 6. *Operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet: alioqui amictus fiet anguſtus,*


ROMA



## CAP. VIII.

### *In Cæsare complusculæ correctiones.*

COmmentarios Cæsarianos multi studio doctrináque prę-stantes homines illustrarunt; & nuperrimè quidem Ioannes Brantius vir clarissimus,& à iure ciuili,ab historiâ ac litteris politioribus benè instructus, Notis non modò suis illis perelegantibus & examussim bonis,sed etiam Petri Ciacconij, quas è schedis eius & liturarijs ingenti labore & industriâ collegit, in ordinem redegit, & vnà vulgari curauit. Quo facto cùm studij propensæque in rem litterariam voluntatis illustre specimen dedit, tum magnam ab eruditis omnibus gratiam iniuit. Huius itaque, id est hominis πολὺ φιλτάτου, ceterorúmque quibus obtigit ea Sparta, pace bonaque cum veniâ, carptim ego quædam & vellicatim è Cæsare libabo.

*Hac re perspectâ Crassus, cùm suâ cunctatione atque opinione timidiores hostes; nostros milites alacriores ad pugnandum effecisset, atque omnium voces audirentur, exspectari diutiùs non oportere; cohortatus suos, ad hostium castra contendit.*

Qui rem & filum narrationis videt, fatebitur contra mentem Cæsaris hæc scribi. Nam quomodo suâ cunctatione Crassus timorem hostibus, alacritatem suis daret? imò contrà prorsus; & detrectantes metum pati solent. Addo, quòd hostes hîc, non Crassus, cunctentur: atque adeò ipse eos vltrò in castris sedentes inuasit. Fuluij liber, *sua cunctatio atque opinio:* nihil pro re. ego sic emendabam: *cùm suâ cunctorúmque opinione timidiores hostes:* & statim, numero plurium, *effecissent.* Sententia nimis est clara. De bello ciuili lib. I.

*Eadem ferè atque eisdem de rebus Prætor Roscius agit cum Cæsare, sibique Pompeium commemorasse demonstrat.*

Vir doctus haud iniuriâ resistit,& hęc verba culpat. Quid enim aliud *eadem dicere*, quàm, *eisdem de rebus*? Hoc est verè * δὶς ταὐτὸ εἰπεῖν, quod meritò Comicus inscitiam appellat. Tentabam mederi: *Eadem ferè, atque eisdem diebus.* vt hoc velit, non eadem solùm mandata Roscium pertulisse, sed eodem quoque tempore.

* *Bis idem dicere.*

Quod

Quod verum esse, ex Dione lib. XLI. & ipso hîc Cæsare discimus. Eodem libro:

*Decuriones Auximi ad Actium Varum frequentes conueniunt, docent iudicij sui rem non esse: neque se, neque reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem, tantis rebus gestis, opido mœnibusque prohiberi. Proinde habeat rationem posteritatis & periculi sui.*

Nego hîc aptum esse *posteritatis* verbum: quia præsens istuc omne periculum imminebat, non in posterum exspectabatur. Veriùs, *potestatis*. Callidè rogant scilicet, nec sine occultis minis: videat cogitétque, non quid velit solùm, sed quid etiam possit. sese vel inuito eo Cæsarem admissuros, nec esse ipsum resistendo. quid autem futurum sic deserto? Paullùm infrà:

*Gladiatores, quos ibi* ( Capuæ ) *Cæsar habebat, in forum productos Lentulus * libertati confirmat, atque ijs equos attribuit. quos posteà monitus à suis, quòd ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familiares conuentus Campaniæ, custodiæ caussâ, distribuit.*

* Lips. libertate.

Implexè & morosè dictum videtur, *familiares conuentus Campaniæ*. Qui enim isti sunt? Cicero qui in locis vicinis, & tantumnon in re præsenti fuit, liquidò ita narrat, vt gladiatores distributi modò sint in vrbe ipsâ. Verba eius lib. VII. ad Atticũ Epist. XIV. *Gladiatores Cæsaris, qui Capuæ sunt, sanè commodè Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum.* Non ergo temerè credimus per alios conuentus Campaniæ distributos. Mihi stat legere: *circum familias conuentus Campani*. Conuentum Campanum accipio ipsos incolas & corpus Capuæ vrbis. Sic *conuentum Vticensem* infrà nominat, sic *conuentum Cordubensem*: sic de hac ipsâ vrbe lib. III. *Periculum veritus, quòd conuentus arma ceperat*. Vide Festum de hac significatione in voce *Conuentus*: & Asconium, atque alios. Iam *Campanus* à Capuâ formatur, non *Capuanus*, quod Varro indicauit lib. IX. de L.L. Virgilius etiam:

*Et Capys, hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.*

## CAP. IX.

### *Oratio Ciceronis pro Sullâ duobus locis emendata.*

GVstemus iterum aliquid è Tullianâ suadâ, Oratione pro Sullâ.

*Ego verò quibus ornamentis aduersor tuis? aut cui dignitati vestræ repugno? quid est quod iam ab hoc expetas? Honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus ærumnis venis ad eum lacerandum, quem interemisti; ego iacentem & spoliatum defendo.*

Haud paullò pulcrior meliórque lectio è m. s. eruitur, in quo est: *Tu ornatus eximijs*. Liquet scribendum: *exuuijs*. Imago ab ijs est, qui in bello hostem peremptum armis & ornamentis spoliant, eáque sibi circumponunt. Tale pænè hoc Taciti: *Cùm ex funere Reip. raptis Consularibus spolijs, innoxios pueros, illustres senes, conspicuas feminas eadem ruinâ prosterneres.*

Et pro vulgatâ lectione;

*Ecquod est huius factum aut commissum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullò minùs consideratum videretur, quæro. Verbum ecquod vnquam ex huius ore excidit, vnde quisquam posset offendi?*

longè concinnior pleniórque libri eiusdem:

*Ecquod est huius factum aut commissum, non dicam audacius, sed quod cuiquam paullò minùs consideratum videretur? Factum quæro? Ecquod vnquam verbum ex huius ore excidit, vnde quisquam posset offendi?*

## CAP. X.

### *In Hirtio non parua rei coniectura, Iubam à Petreio cæsum; non, vt nunc vulgò legitur, hunc ab illo. Florus & Orosius obiter correcti.*

IN Commentario de bello Africo locus est asper & confragosus, quem ὁμαλὸν & planum reddo.

Rex

*Rex interim Iuba ab omnibus ciuitatibus exclusus, desperatâ salute, cùm iam conatus esset cum Petreio, vt per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant, atque firmior imbecilliorem Iuba Petreium facilè ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cùm conaretur gladio traijcere pectus, nec posset, precibus à seruo suo impetrauit, vt se interficeret.*

In phrasi scrupulus, & in ipsâ historiâ, ob dissensum. De phrasi illâ, *cùm iam conatus esset*, scio M. Antonium Muretum * τοσοῦτον βάθος παιδείας * rescribere, *cùm omnia conatus*. Haud malè; verumtamen, pace tanti viri, verius arbitror, *cùm iam cœnatus esset*. Nam ista post epulas euenisse Florus dicit: *Iuba cùm se recepisset in regiam, magnificè epulatus cum Petreio.* Sed & Appianus hoc factum prodit ἐπὶ τῇ διαίτῃ, *in cœnaculo*. Quod autem ad dissensum, noster hic à Iubâ vult Petreium interfectum, cùm Florus & Liuius contrà. Ego verò nec opinor aliter ab Hirtio scriptum, & planè emendem, *imbecilliorem Iubam Petreius*. Arguunt sequentia sic fuisse, cùm addit superstitem à seruo suo impetrasse. De homine Romano hoc benè, cui serui & liberti; vix de Rege, cui comites aut satellites potiùs tribuisset. Denique nemo Iubam à seruo cæsum tradidit; quidam mutuis eos ictibus perijsse. Seneca ab hac parte, De Prouidentiâ: *Jam Petreius & Iuba concurrerunt, iacentque alter alterius manu cæsi*. Item Appianus: Ἰόβας δὲ καὶ Πετρήϊος τῶν γιγνομένων πυνθανόμενοι, ἐπὶ τῇ διαίτῃ ξίφεσι διεχρήσαντο ἀλλήλους: *Iuba & Petreius eorum quæ euenerant gnari, in cœnaculo mutuò se interfecerunt*. Apertè pro Senecâ, vt mirum sit Muretum scribere quòd ab Hirtio sentiat. Sed & Dio in hac sententiâ: Ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδεὶς αὐτὸν ἐδέξατο, ἀπέγνω τε τὴν σωτηρίαν, καὶ τῷ Πετρηΐῳ μηδεμίαν μηδ' αὐτῷ ἐλπίδα ἀδείας ἔχοντι, ἐμονομάχησε καὶ συναπέθανε: *Deinde cùm nemo eum* (Iubam) *susciperet, & desperaret de salute, cum Petreio, qui nec ipse vsquam spem securitatis videret, singulari certamine concurrit, & vnà cum illo mortuus est*. Hæc ita isti; sed Hirtius aliter: ac Florus; *Iuba cùm se recepisset in regiam, magnificè epulatus cum Petreio fugæ comite, super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Jlle & regi suffecit & sibi.* Obiter moneo, *cùm se recepisset in regnum.* nam regiam certè non fuit ingressus; neque in hac ea gesta, sed in villâ. Florus autem ait, Petreium sibi ipsi manus attulisse, cæso Iubâ, quod Hirtius negat: & credibile est, meliùs

* *Tam altæ doctrinæ virum.*

* *In Notis ad Sen. De Prouid.*

hunc sciſſe. Hauſerat hoc ipſum è Floro, de more ſuo, Oroſius: *Iuba percuſſori iugulum, pretio dato, præbuit. Petreius eodem ſe gladio perfodit.* Sed planum & certum eſt, emendandum, *iugulum Petreio præbuit*; & Gloſſematium vel imperitia contaminauit. Altera ſalebra:

*Quibus rebus Scipio, quique cum eo eſſent comites, mirari & requirere.*

Superſit enim dictio, quam exturbat codex ſcriptus, hoc modo: *quique cum eo eſſent, commirari & quærere.* Compoſitum hoc vſurpat, vt alia multa, Comicorum in morem.

## CAP. XI.

### *Quibus victimis factum in Suouetaurilibus. Dionyſius Halicarnaſſ. emendatus.*

DIuerſæ olim victimæ pro genere ſacrificij, próque Deo Deáve, cui fieret, adhibitæ fuerunt. Suouetaurilibus quidem, vt arbitror, eæ ipſæ quas vox notat & deſignat, Sus, Ouis, Taurus. Ne tamen hoc inter res iudicatas habeatur, facit diſſenſus Dionyſij Halicarnaſſenſis, qui ſacrum hoc inſtruit ταύρῳ καὶ κριῷ καὶ τράγῳ, *tauro, ariete, hirco.* Hircum videlicet pro ſue ſupponit. Quid ergo? magis illi fides vni, quàm multis erit, bonis & priſcis? Varro, cui talia ſatis exquiſita ſine dubio fuêre, II. De re Ruſt. ſcribit: *Populus Romanus cùm luſtratur Suouetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Enimuerò & ille *ſuem* agnoſcit, ſed marem, quem verrem appellat. Quid Fabius? *Suouetaurilia iam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, oue, tauro.* Feſtus: *Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignificant, tauri, arietis, verris.* Gloſſæ veteres: Solitaurilia, θυσία ἐκ συὸς, κριοῦ, ταύρου: *Sacrificium ex ſue, oue, tauro.* Aſconius de luſtro Cenſorio: *Solitaurilia ſacrificium de ſue, oue, tauro faciebant.* Quid quod etiam hodie Romæ in fornice Conſtantini plurimíſq. locis ſacrum hoc ſpecie trium iſtarum victimarum? Omnino Dionyſij ſcriptio labare videtur, & fortaſſe Græcorum ei ritus in mente, apud quos interdum in tali ſacro hircus. Suidas: Τριττύς, ἡ τελεία θυσία, ἐκ συὸς, κριοῦ, καὶ τράγου: *Trittys, perfectum ſacrificium, ex ſue, oue, hirco*: At creberrimè ij-

mè ijdem aliter. imò ipsum illud Romanum iam inde ab Homero, Odyss. Λ.

> Ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι
> Ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.
> *Neptuno faciens sacra regi salsipotenti*
> *Masculam ouem, & taurum, suibus verremq; maritum.*

Ibi tamen Eustathius varietatem ostendit. &, Ἰστέον, inquit, ὅτι ἡ τοιαύτη θυσία, τριττύα λέγεται) παρὰ τοῖς παλαιοῖς, οἳ τριττύαν ἔλεγον τὴν ἐκ τριῶν ζώων θυσίαν, οἷον δύο μήλων καὶ βοὸς, ὡς Ἐπίχαρμος, ἢ βοὸς καὶ αἰγὸς καὶ προβάτου, ἢ κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου. *Sciendum quòd tale sacrificium Trittya dicitur antiquis. qui ita vocabant ex tribus animalibus sacrum: sicut duarum ouium & vnius bouis, vt Epicharmus; aut bouis, capræ, ouis; aut verris, arietis, tauri.* Postremus hic ternio Homeri & noster est. Sicut idem in Hesychio: Τρικτύαν, τριάδα, ἔνιοι θυσίαν κάπρου, κριοῦ, ταύρου. *Trictuan, triada, quidam sacrificium verris, arietis, tauri.* Et ampliùs deinde: Τρίκτειρα ἢ τριττύα, θυσία Ἐνυαλίῳ. θύεται δὲ πάντα τρία ἔνορχα: *Tricteira siue Trittua, sacrificium Marti. Immolantur autem omnia tria cum suis testibus.* Significat integra, neque abscissis virilibus (quod in alijs sacris solebat) immolata fuisse. Atque ideò *Solitaurilia* priscâ voce, quòd *harum hostiarum omnium* (verba Festi) *inuiolati sunt tauri, quæ pars scilicet cæditur in castratione.* Tauros appellat ipsas illas res viriles, vt in alijs exemplis. Sed notetur in Hesychij verbis, *Marti factum sacrum.* quod ipsum Dionysius: Τὰ δὲ ἱερεῖα ταῦτα τρὶς περιαχθῆναι περὶ τὸ στρατόπεδον κελεύσας ἔθυε τῷ κατέχοντι τὸ πεδίον Ἄρει. *Eas verò victimas, ter circumductas exercitum, Marti immolauit.* Sed quid igitur in dissensu pronuntiandum? Dionysij scriptorem (hoc malo, quàm ipsum) aberrasse videri; & κάπρῳ pro τράγῳ, *verre* pro *hirco*, substituendum.

## CAP. XII.

### *Ciceroni labes duæ detersæ.*

AD Ciceronem redimus, qui plurimùm nobis in mente & manu. In libris eius, quos emendatos censemus, legitur, pro M. Cælio:

*Quo quidem tempore ille moriens, cùm iam ceteris ex partibus oppressa*

*pressa mens esset, extremum sensum ad memoriam reipub. reseruabat* ( vetus codex, *reuocabat:* ) *cùm me intuens flentem, significabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella vrbi, quanta tempestas ciuitati; & cùm parietem sæpè feriens eum qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebrò Catulum, sæpè me, sæpissimè remp. nominabat: vt non tam se emori, quàm spoliari suo præsidio cùm patriam tum etiam me doleret.*

Quæ ille de Q. Metelli morte insidijs & fraude vxoris conciliatâ narrat, aptatque orationi planè ad suum casum. At quod dicit, *quanta impenderet procella vrbi:* haud germanum videtur, ex ipsâ re, quoniam bis idem dixerit, *vrbi, ciuitati;* & ex librorum dissensu. Quidam enim: *quanta impenderet procella sibi.* Fortè *ciui.* Moriens duo nempe hæc ominabatur & prædicebat: cladem ciui, id est Ciceroni, & cladem patriæ. Ita sensisse eum & dixisse Ciceronis verba satis clarè ostendunt; sed maximè ista: *spoliari suo præsidio cùm patriam tum etiam me doleret.* Vulgatam tamen lectionem non vtique reijcimus; nec ignoramus, inter vrbem & ciuitatem discriminis aliquid esse. Pro C. Rabirio istud corrigo:

*At Diæcetes fuit regius, & quidem in custodiâ etiam fuit regiâ, & vita eius oblata pœna est. multa præterea quæ libido regis, quæ necessitas coëgit ferre, pertulit.*

Corrigo, inquam: *& vita eius ablata penè est.* Cicero ipse inferiùs: *Pertulit ipse custodiam, vidit in vinclis familiares suos, mors ob oculos sæpè versata est.* Coniectura, fateor, hæc est; sed apud æquum & cordatum lectorem satis firma. τὸ δὲ Μεγαρέων οὐδ' εἰς λόγος. Fidentiùs vt loquar, facit assensus & approbatio R. P. Andreæ Schotti; in quo viro, præter pietatem in Deum, animi candorem, humanitatem, & multam accuratamque doctrinam, inexplebile prorsus & incredibile quoddam studium rem litterariam omnimodis adiuuandi.

## CAP. XIII.

### *De duplici Plauti loco coniectura.*

PLauti Sticho:

*Adeunt, perquirunt quid siet caussæ ilicò,*

*Alienum*

*Alienum æs cogat, an pararit prandium?*
*Vxorin' sit reddenda dos diuortio?*

Curiosos ac πολυπραγμοσύνας notat, qui, si quis auctionem instituit, statim quærunt caussas. Obruitúrne ære alieno? an prandiũ instituit? an ab vxore diuortit? & caussæ quidem aliæ satis iustæ & idoneæ; illa remotior & παρὰ δόξαν, de prandio. Obsecro, vniúsne prandij caussâ facienda auctio? valdè ille sit inanis atque inops, qui eo rem absumat. Certum est litteram mutatam, & primitus scriptum fuisse, *praidium*, id valet prædium. Caussæ seriæ sunt, non parasiticæ. Quærunt de ære alieno, de parato emptóve prędio, de dote reddendâ. Huic annotationi libet alteram ἐπιμέτρον, è Truculento:

A S. *Erubui mecastor misera propter clamorem tuum.*
S T. *Itáne erubuisti? quasi verò corpori reliqueris*
*Tuo potestatem coloris vlli capiendi, mala.*
*Buccas rubricâ, cerâ omne corpus intinxti tibi.*

Mirum de *cerâ*; magísque placeat, *cretâ*, quæ cum rubricâ aptè iungatur. Nam vterque color in vsu fœminis, quæ *vitia corporis*, vt Plautina ponam verba, *fuco occulunt*. Idem alibi per tralationem:

*Creta est profectò horunc hominum mihi oratio.*

quæ videlicet maculam & sorditudinẽ omnem animo absterſit.

## CAP. XIV.

### *De verbo Populares quædam non protrita. vox Populi latè patens. In Glossario vetere diuinatio.*

VAgamur huc & illuc,
*Floriferis vt apes in saltibus,*

& erraticâ scribendi ratione varia libamus. Et nunc quidem super voce *Populares* adferre quædam mihi visum. Significantur eâ consortes & qui eiusdem cœtus factionísque sunt, ac velut vnius populi. Sallustius: *Catilina cùm ad iusiurandum populares sceleris sui adigeret.* Seneca De vitâ beatâ: *Mea quidem hæc sententia est (inuitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum & recta præcipere.* Populares vocat suos Stoïcos, in quibus & ipse censebatur.

batur. Sic idem Salluſtius: *Quod factum primò populares coniurationis concuſſerat.* Iterúmque in Iugurthâ, etſi paullò aliter: *Animaduertit fugam ad ſe verſum fieri, quæ res indicabat populares eſſe.* id eſt, Romanos & ſuos milites. Et an non milites etiam interpretemur? In Gloſſis legitur: *Populares,* στρατιῶται. Quod tamen ſuſpectum; & verius immiſsâ negatione, οὐ στρατιῶται: *non milites.* Nam ita paſſim, medio vel inferiore æuo, diſtincti ferè à militibus, & pro plebeiis & infimo populo vſurpati. Capitolinus in Antonino: *Peſtilentia grauis multa millia & popularium & militum interemit.* Spartianus in Nigrino: *Qui eſſet odio Senatoribus, militibus, prouincialibus, popularibus.* Vopiſcus in Probo: *Immiſſi deinde populares* (è plebe Romanâ) *rapuit quiſque quod voluit.* Appuleius lib. IX. *Confuſúsque miles de inertiâ ſuâ quidquam ad quemquam referre popularium, quoſdam commilitones nactus iſtas tunc clades enarrat.* D. Gregorius de Paullino Nolano: *Ego hunc tanti meriti virum, popularē, vt conſpicitur, eſſe non ſuſpicor.* Poſſet tamen & in Gloſſis legi, *Populares,* πατριῶται: qui ſunt eiuſdem gentis aut patriæ, vt ſæpè. Quod autem initio dixi, pro conſortibus aut vnius corporis capi, id cauſſam habet, quia *Populi* vox latè olim ita ſonabat, & ad omne ferè corpus aut gregem pertinebat. Sic in Manilio, lib. IV. de piſcibus:

*Littoribuſque ſuis populos exponere captos.*

Idem de auibus lib. V.

*Ipſe quoque aërios populos cæliq́ue ducatum,*
*Alituumq́ue genus, ſtudium cenſuſq́ue vocabit.*

Columella de apibus: *Duo populi coniungi debent.* Appuleius de formicis: *Ruunt aliæ ſuperq́ue aliæ ſepedum populorum vndæ.*

## CAP. XV.

### *Lux Hirtio.*

IN Hirtio ita ſcriptum eſt Commentario VIII. belli Gallici: *Fit deinde S. C^m vt ad bellum Parthicum legio vna à Cn. Pompeio, altera à C. Cæſare, mitterentur: neq; obſcurè hæ duæ legiones vni Cæſari detrahuntur. Nam Cn. Pompeius legionem Primam quam ad Cæſarem miſerat confectam ex dilectu prouinciæ,*

*Cæsari eam tanquam ex suo numero dedit. Cæsar tamen, cùm de voluntate aduersariorum se exspoliari nemini dubium esset, Cn. Pompeio legionem remisit, & ex suo numero Decimam quintam, quam in Galliâ Citeriore habuerat, ex S.C^to iubet tradi.*

Obscurè & implicatè, nisi cum Fuluio legimus: *ex dilectu prouinciæ Cæsaris, eam tanquam*. Sed & explicanda res est. Cn. Pompeius in tumultu necis Clodianæ, legionem vnam è Gallis Cisalpinis conscripserat: quam posteà Cæsar in Galliæ magno motu ad se mitti petijt: quod ita narratur initio lib. VI. *Simul ab Cn. Pompeio Proconsule petit, quoniam ipse ad Vrbem reip. caußâ maneret, quos ex Cisalpinâ Galliâ Consulis sacramento rogasset, ad signa conuenire & ad se proficisci iuberet.* Vbi videtur legendum diuisim: *Consul is.* cùm scilicet tertiùm Consul esset. Ergo hæc legio est, quam Pompeius suam numerat, quòd fuerat à se lecta; Cæsar suam, quòd in prouinciâ, cui præerat, collecta. Notamus etiam, quę hîc Hirtio *Decimaquinta* est legio, manifestè Cęsari Tertiam esse & scribi lib. III. belli Ciuilis: *Erant in sinistro cornu Pompeij legiones duæ, traditæ à Cæsare initio dissensionis ex S. C. quarum vna Prima, altera Tertia appellabatur.* Qui hæc sine correctione composuerit, næ ille scit conciliaturas.

## CAP. XVI.

### *Quinctiliani locus in Declamat. purgatus.*

PEtrus Pythœus multimodis rem litterariam benè iuuit; non minimùm autem eò quòd bonas & argutas illas Declamationes Quinctiliani primus è tenebris eruit, & emendauit. In earum CCCXL. legas in ipso Themate:

*Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango nouitium puerum per publica rostra iecit prætextatum. dicitur ille liber.*

Istud de publicis rostris suspiciosum, &, quantum cernere mihi datur, haud sincerum est. Legebam: *per publicanos traiecit.* Et sententia hæc est: Mango, vt fraudem publicanis faceret, puerum venalem nouitium in prætextâ quasi liberum & ingenuum

 traduxit.

traduxit. Fraus ſucceſſit; ſed lis oritur, & puer aſſeritur in libertatem. Quod ad phraſim, omnino ſimilis in Themate ſequenti: *Quidam rem furtiuam tranſtulit per publicanos.* & prior illa ad aquas & portum ſpectat: eóque aptum *Traiiciendi* verbum. Geminum planè eſt, quod vir ingenio, virtute & eruditione nimiùm quanto præſtabilis, meúſque ſummus & prorſus * ἀτίμητος φίλος, Ioannes VVouerius apud Suetonium legi monuit lib. De claris Rhetoribus: *Venalicij quum Brundiſij gregem venalium è naui educerent, formoſo & pretioſo puero, quòd portitores verebantur, bullam & prætextam togam impoſuere: facilè fallaciam celarunt. Romam venitur: res cognita eſt: petitur puer, quòd domini voluntate fuerit liber, in libertatem.*

* *inæſtimabilis amicus.*

## CAP. XVII.

### *Quid Sinus togæ. Quinctilianus illuſtratus.*

INcredibile eſt, quantum ad pleniorem antiquitatis notitiam valeat obſeruatio numorum, lapidum, aliorúmque veterum monimentorum. Equidem affirmare auſim, haud parùm multa in ſcriptoribus eſſe, quæ vix aliter, quàm ex illis cùm intelligi tum explicari rectè poſſint. Et inter ea, meo quidem animo, quæ ex M. Fabio Quinctiliano, quà veſtis modum Oratori præſcribit, hîc ſubieci.

*Eſt aliquid in amictu quod ipſum aliquatenus temporum conditione mutatum eſt. Nam veteribus nulli ſinus: perquàm breues poſt illos fuerunt. Itaque etiam geſtu neceſſe eſt vſos eſſe alio, quorum brachium, ſicut Græcorum, veſte continebatur.*

Et paullò pòſt:

1. *Sinus decentiſſimus, ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, numquam certè ſit inferior.* 2. *Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum obliquè ducitur velut balteus, nec ſtrangulet, nec fluat.* 3. *Pars togæ quæ poſteà imponitur, ſit inferior: nam ita & ſedet meliùs & continetur.* 4. *Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat.* 5. *Tum ſinus iniiciendus humero, cuius extremam oram reieciſſe non dedecet.* 6. *Operiri autem humerum cum toto iugulo non oportet: alioqui amictus fiet anguſtus,*


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

*angustus, & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. 7. Sinistrum brachium eousque alleuandum est, vt quasi normalem illum angulum faciat. 8. Super quod ora ex togâ duplex æqualiter sedeat.*

Nam qui isti sinus? Lazarus Baïfius, quamquam ex professo de Re vestiariâ scribit, nullum de iis verbum. Et Antonius quidem Augustinus, etsi rerum veterum apprimè sciens, longiùs abit: Aldus verò Manutius accedit, remque ipsam tantumnon attingit; sed non pariter atque alias res solet, leuiter satis atque defunctoriè. Quoniam autem hæc talia quò plenè animo & cogitatione comprehendantur, ante oculos contemplanda poni debent, ego per imagines interpretes id præstare conabor. Et, vt promissa repræsentem, ecce togæ recentioris cum sinibus exemplum; antiquioris citra sinus, & astrictæ, quoniam * alibi ponam, in præsentiâ prætermittam.

* Infrà cap. xxx. De mappa missione.

Pro explicatione notas adieci, quæ verbis Fabij respondent, & omnino satis habeo, quasi punctis hæc signasse. Neque enim

—— *multam hic operam consumere par est*,

aut longos facere logos super eâ re, quæ meliùs oculis quàm auribus diiudicatur. Vnum tamen certum est indictum non amittere: quòd sinus hosce Manutius togæ, non attextos, sed appensos & assutos tradit, id nescio sanè, an ei dictarit * Θυγάτηρ Ἀλήθεια Διός, nec, vt ipsi Fidei, credendum hîc ei censeo. Quin affirmare ausim, sinum nihil quicquam à togâ seiunctum; sed partem eius, imò illam ipsam fuisse, in certum compositam atque replicatam modum. Dicerem, fortè etiam ita leuiter consutam atque concinnatam, vt eamdem ad faciem semper ferè esset. cuius instar hodiéque in mulierum Hispaniensium & Italarum quarumdam pallis, quas Mantos appellitant. Sed obstare Tertullianus videtur, qui suo æuo (nescio an superiore) cottidianam curam & reformationem adhibitam fuisse scribit.

* Iouis filia Veritas.

*Inseratur Iconismus statuæ togatæ.*



## CAP. XVIII.

### *Medicina Liuij duobus vulneribus.*

LIuium variè corruptum & auxilij egenum esse facilè animaduertet, quisquis in eo fuerit non indiligenter. Ego quibusdam locis * μαλακὰν χεῖρα προσβαλοῦμαι, & medicinam facere conabor, Apolline, quod spero, propitio. Lib. XXI. narrat legatos Romanos ad castra Annibalis venisse, iuxta Saguntum variâ ludificatione tardatos, & deniq; non admissos. Adiungit:

* mollem manum admouebo.

*Apparebat non admissos protinus Carthaginem ituros. litteras igitur nunciosque ad principes factionis Barchinæ præmittit, vt præpararent suorum animos, ne quid pars altera gratificari pro Romanis posset. Itaque præterquam quòd admissi auditique non sunt, ea quoque vana atque irrita legatio fuit. Hanno vnus, aduerso senatu, propter auctoritatem suam cùm assensu audientium egit.*

Negat ecce admissos. Adeóne feroces igitur aut barbari Carthaginienses, vt nec legatos audirent? falsum, & statim infrà scribitur: *Multò infensiùs arguebant locutum Hannonem, quàm Valerium Flaccum legatum Romanum.* Ergo admissi, auditi, ac dimissi. Et omnino tollenda negatio, legendúmque: *præterquam quòd admissi auditique sunt.* Sensus est: Ea quoque legatio tam vana fuit & irrita, quàm illa ad Annibalem: nisi tamen quòd hîc admissi sunt & auditi. Sed cor mihi perfrigefacit quod sequitur, *cum assensu audientium egit.* Itáne? cum assensu? Atqui paullò antè narrat, *aduerso senatu* dixisse. & paullò post: *Nemini omnium certare oratione cum Hannone necessum fuit, adeò propè omnis senatus Annibalis erat*; & quæ plura in hac refragatione subtexuntur. Quid agam? quomodo tragulam hanc deiecero? Audendum est. Nam, vt ille verè scribit,

*Timidus in rebus dubiis, nauci non erit.*

& reponendum, *propter auctoritatem suam, non assensum audientium.* Hanno, inquit, silentio caussam egit Romanam, non quòd assentirentur; sed quia inueterata viri auctoritas hoc saltim iuris apud eos obtinebat.

CAP.

## CAP. XIX.

### *Valerio Maximo vox fugitiua restituta.*

VAlerius Maximus lib. IX. cap. XI.

*Mithridates autem multo sceleratiùs, qui non tum fratre de paterno regno, sed cum ipso patre bellū de dominatione gessit.*

Nemo quidem hoc de ipso Mithridate; sed de Pharnace eius filio, cùm Dio tum Eutropius & Orosius. In libris priscis vidi, *Mithridatis autem.* Notulam insere, & veritas emerget: *Mithridatis F. autem.* Ea valet filium, & ita signabant: quæ notula elapsa scelere Mithridatem, vitio Valerium inquinauit.

## CAP. XX:

### *Antilogiam in Cæsare videri.*

OFfendimus in istis Cæsaris verbis Commentario III. Ciuilium:

*Multi iam menses transierant, & hiems præcipitauerat: neque Brundisio naues legionésque ad Cæsarem veniebant.*

Nam falsa videtur, imò ἀσύστατα scribere. Ait *transisse multos menses*: ex quo scilicet copias suas Brundisio exspectat. & addit, *iam hiemem præcipitasse.* quod est, in exitu & declinatione esse. Atqui *pridie Nonas Ianuarias*, id est mediâ ipsâ hieme, Cæsar Brundisio soluerat (ipsemet ita scripsit) quomodo igitur vel ad vltimam hiemem *multi menses*? Solus sanè Februarius supererat. Res consideranti clara: sed quî soluimus aut medemur? Putarem legendum: *Multum iam mensis transierat.* siue ad ipsum hoc Ianuarium, siue & Februarium refers. Nam breuis scilicet traiectus ille ex Italiâ in Epirum: & Cæsar animo breuiorem faciebat; cui quælibet mora longa & molesta, ob cupidinem vincendi. Hæc ita probè dicta videntur; sed ad aliud ecce saxum nos fluctus ferunt. Nónne enim damnat & euertit quod eodem libro paullò suprà? *Hic fuit oppugnationis exitus, iamq; hiems appropinquabat, & tantis detrimentis acceptis Octauius, desperatâ expugnatione, Dyrrhachium sese ad Pompeium recepit.* Hæc, inquam, ante narrat:

& si

& si tunc hiems demum appropinquabat, quomodo nunc in exitu? Quomodo etiam Cæsar Ianuario soluit, cùm hæc narrentur postquam oram Italię soluisset? Caligo hîc mihi est, & omnino putem, vel malè, nec suo loco (quod alibi in his libris factum) hæc inserta, vel mendosè legi. Io. autem Rhellicanũ miror, qui cuneum aliquem huic nodo quærens, per hiemem non tempus hibernum, sed tempestatem intelligi censet. quod sanè ποιητικώτερον, & ab huius scripti simplicitate perquàm alienum.

## CAP. XXI.

### *In Liuio vera scriptura reposita.*

VBertim & λόγου quadam ἐκβολῇ Liuius disputat, quid futurum, si Alexander Macedo in Italiam venisset. Atque ille pro Romanis pronuntiat, cùm ob alias caussas, tum ob vitia Regis.

> *Referre*, inquit, *in tanto rege piget superbam mutationem vestis, & desideratas humi iacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graues, nedum victoribus.*

Quo loco duo monenda. Primùm, *humi iacentium adorationes*, legendum videri. Nam * προσκύνησις illa Persarum satis nota, & ritum hunc adorandi reges fuisse, non adulandi. Secundò, transposita verba esse, & præter Liuij mentem & præter verum. Anne victis Macedonibus graues eæ adorationes? illi verò victores erant, nec video quod acumen aut quæ lingua hæc excuset. Cordi meo obsequar, & scribam: *etiam victis graues, nedum* [*Macedonibus*] *victoribus*. Fædę & seruiles illę adorationes, inquit, vrebant angebántque; etiam victas gentes: quidni hanc victricem?

* adoratio.

## CAP. XXII.

### *Quæsitum super loco Cæsaris. Curicta insula. Appianus correctus.*

COmmentario III. Ciuilium, in mandatis quæ Cæsar dat Vibullio pro pace:

Illum

*Illum ab Italiâ expulſum, amiſſâ Siciliâ, Sardiniâ; ſe morte Curionis & detrimento Africani exercitus tanto, militumque deditione ad Corcyram affectum.*

Quæ hæc deditio militum Iulianorum, ad Corcyram, & inter clades nobiles, haud facilè dixeris: imò nuſquam in ipſo Cæſare reperio, totaque ea pars deeſt. Itaque ſuſpicio eſt, vitium eſſe, germanamque ſcriptionem, *ad Curictam*, inſulam Illyrico obiacentem. Eſt enim clades illa ad oras Illyrici accepta, in quâ Antonius cum x v. cohortibus captus eſt ab Octauio & Libone Pompeianis. Nemo locum certiùs clariúſque expreſſit quàm Lucanus:

*Quà maris Hadriaci longas ferit vnda Salonas,*
*Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iäder;*
*Illic bellaci confiſus gente * Curetum,*
*Quos alit Hadriaco tellus circumflua ponto,*
*Clauditur extremâ reſidens Antonius orâ.*

* Fortè, Curitum.

Et plura, quæ hiſtoricâ fide (vt ſolet) addit. Ergo in *Curetum*, ſiue potiùs *Curitum* inſulâ ea clades, vbi flumen Iäder in mare exit, & iuxta Salonas. Eſt ſanè in Ptolomæo Curicta inſula eo tractu; ſed longiuſculè tamen à Salonis, ad occaſum & interiora maris ſita. Quod ipſum Lucanus videtur indicare, cùm ponit ad partem, quà in *Zephyros* (id eſt, occaſum) *Iäder excurrit*. Certè pro hac lectione quidam Flori vetus liber, vbi *Curictico* vel *Curitico* litore ſcriptum. Quod non rejiculum, cùm & Plinio & Ptolomæo inſula hæc *Curicta* nominata. Reliquum eſt, vt in Appiano manifeſtarium hîc errorem oſtendam, I I. Ἐμφυλίων: Καὶ τῶν αὐτῶν ἡμερῶν Ἀντώνιός τε περὶ τὴν Ἰλλυρίδα ἡσσᾶτο ὑπὸ Ὀκταουΐου Δολαβέλλα Πομπηΐῳ στρατηγοῦντος: *Iiſdem diebus Antonius apud Illyricam oram victus eſt ab Octauio Dolabellâ, Pompeij legato.* Falsò planè: quaſi idem Octauius qui Dolabella. Atqui ſeiungendi ſunt, & Dolabella in Iulianis partibus fuit. Itaque talis aliqua lectio in Appiano ſubſtituenda: Ἀντώνιός τε καὶ Δολαβέλλα περὶ τὴν Ἰλλ. *Antonius & Dolabella apud Ill.* voce in ſuum locum retractâ. Nam Dolabella (quod in Oroſio legas, libro v I. cap. x v.) ab Octauio victus ad Antonium fugerat.

## CAP. XXIII.

### *Liuius de opinione emendatus.*

*valdè artificiosè & accuratè.

ANnibalis illa concio ad milites ante pugnam ad Ticinum, facunda est, & * μάλα τεχνικῶς καὶ ἐπιστρεφέως facta, ac fortè pro Annibale nimis. In eâ hæc quoque leguntur:

*Non ego illud parui æstimo, milites, quòd nemo vestrûm est, cuius non ante oculos ipse sæpè militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata temporibus locísque referre sua possim decora: tum laudastis me milites, donastis. Alumnus priùs omnium vestrûm quàm Imperator, procedam acie aduersus ignotos inter se ignorantésque.*

Sed satin' aut integra, aut pura? illa certè non videntur: *tum laudastis me milites, donastis*. Quid donauerint? an munera accipere à militibus Imperator solet? imò dare. Si non aliquid desit, legerim in hanc mentem: *donati estis*. Duo recensuit: Et ego, inquit, fortiter sæpè feci vobis spectantibus, & vos me. Laudem igitur à vobis accepi, præmium vnicum ducibus; & vos dona à me ex militiæ more.

## CAP. XXIV.

### *Vocula Cæsari reddita. AErarium sanctius ab eo apertum.*

COmmentario Cæsaris I. De bello ciuili locus est, nisi glaucoma mihi ob oculos obiecta, mutilus & mendosus.

*Quibus rebus Romam nuntiatis, tantus repentè terror inuasit, vt cùm Lentulus Consul ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex S.C.*[to] *proferendam, protinus aperto sanctiore ærario ex vrbe profugeret. Cæsar enim aduentare, iam iamque adesse eius equites falsò nuntiabantur.*

Agite dum, excutite mecum & euentilate. Testimonia desunt aperti à Lentulo & Pompeianis ærarij; imò in diuersum potiùs eunt. Dio Cassius lib. XLI. clausum ærarium à Consulibus narrat, & claues vnà ablatas: *Quasi*, inquit, *Cæsar secures non haberet*

*beret ad perstringendum.* Idem & Cicero tangit Ep. XII. lib. VII. ad Att: *Nec Cæsarem rerum prolatio, nec Senatus magistratuumque discessio, nec ærarium clausum tardabit.* Et idem Epist. XV. queritur, *pecuniam omnem, non modò priuatam, quæ in vrbe est, sed etiam publicam, quæ in ærario, Cæsari relictam.* At enim redut, inquies, postea Lentulus, & aperuit. Hoc præter Cæsarem indicare Cicero videtur, Epist. XX. eiusdem libri VII. *Id. Febr. Capuam C. Cassius Tribun. pl. venit: attulit mandata ad Consules, vt Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrent.* Sed si verba, quæ sequuntur, consideres, videbitur contrà. Ostendit enim periculum: &, *Redeant?* inquit: *quo præsidio? deinde exeant? quis sinat? Consul ei rescripsit, vt priùs ipse in Picenum.* Ergo Pompeij quidem hæc mens & desiderium fuit: vix est, vt arbitrer patratum. Cicero, qui dies & gesta diligentissimè recenset, non id ostendit, neque alius historicorum. Quid quòd palàm contradicunt? Nam consensu narrant, Cæsarem in reditu à Brundisio ærarium, obsistente Metello, perfregisse, compilasse. Ita Dio, Plutarchus, Appianus, Lucanus: & pecuniæ etiam summas Plinius lib. XXXIII. cap. III. Orosius lib. VI. cap. XV. (etsi numero impari) conceperunt. Sed iterùm fortasse quispiam dixerit, Sanctius modò ærarium, vt Cæsar hîc scribit, à Lentulo apertum; at alterum à Cæsare. Sed & is factius nihilo facit. Nam in publico siue exposito non adeò magna vis auri propter assiduos sumptus: & constat Cæsarem intactas & reconditas populi opes abstulisse, quæ sine dubio in ærario sanctiori. Disertè, vt Appianum & alios præteream, Lucanus:

*Protinus abducto patuerunt templa Metello.*
*Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas*
*Testatur stridore fores: tunc conditus imo*
*Eruitur templo multis intactus ab annis*
*Romani census populi: quem Punica bella,*
*Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi:*
*Quod tibi Roma fugâ Pyrrhus trepidante reliquit,*
*Quo te Fabricius Regi non vendidit auro:*
*Quicquid parcorum mores seruastis auorum:*
*Quod dites Asiæ populi misere tributum,*
*Victorique dedit Minoïa Creta Metello:*

D 2 *Quod*

*Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.*
*Tunc Orientis opes, captorumque vltima regum,*
*Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis*
*Egeritur: tristi spoliantur templa rapinâ,*
*Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.*

Sed & Florus lib. IV. cap. II. *Ærarium quoque sanctum, quia tardiùs aperiebant Tribuni, iussit effringi.* Paullus Manutius vidit hanc antilogiam, & tollere conatus est. Verùm nihil agit, &, vt Comicum hoc vsurpem, inanilogus est, isto suo de triplici ærario commento. quasi videlicet vnum triumphale fuisset, in quo pecunia manubiarum & spoliorum: alterum, in quo aurum vicesimarium, idque sanctius: tertium, in quo annua vectigalium pecunia: medium autem illud apertum à Lentulo, primum siue triumphale à Cæsare. Sed ego

*Numquam istud dixim neque animum inducam meum.*

Quis enim auctor de triplici ærario? Quæ etiam mens aut stultitia Lentuli, modicum aliquid auri abripere, gazas & massas intactas relinquere? Adde dissensum Flori.

* Νῦν δ' αὖ τ' ἐξερέω, ὥς μοι δοκεῖ εἶναι ἄριστα.

* *Nunc dicam, nobis quod rectius esse videtur.*

in Cæsaris nempe verbis mendum aut defectum potiùs esse, & interpositâ negatione legendum, *protinus non aperto.* Constat quidem venisse eo fine Lentulum (ex Cæsare hîc & Cicerone:) sed ex verbis item ipsis Cæsaris & narratione, trepidè nimis aufugisse, & re infectâ, videtur. Verumtamen hîc nisi de opinione nihil certum dico, & Academicâ lege, ἐπέχω.

## CAP. XXV.

### *Liuij & Silij ἀβλεψία.*

ABsolui Liuius non potest, ita scribens, lib. XXI.

*Saguntum vt caperetur, quid per octo menses periculi, quid laboris exhaustum esse? Romam orbis terrarum caput petentibus, quidquam adeò asperum atque arduum videri, quod inceptum moretur?*

Verba Annibalis sunt, qui milites suos territos & detrectantes porrò ire ob infames illas Alpes, incitat atque adhortatur. Saguntum,

guntum, inquit, cùm præmium peteretur, octo menses eam obsedistis, oppugnastis; piget transcendere hos montes, cùm Roma ipsa futura merces sit? Cetera apposité & diserté; sed quòd Romam *orbis terrarum caput* hîc Annibal appellat, quis id feret? A decoro valde ea laudatio abit (præsertim cùm hostis) & magis à vero. An enim illo æuo Roma terris caput? imò nec toti Italiæ, Gallis Cisalpinis & Liguribus etiamnum restantibus: & extra eam vix quicquam firmiter in potestate suâ ac ditione habuit, præter Sardiniam & Siciliæ partem. En dominam orbis! Peccauit igitur Liuius, eiúsque exemplo Silius, qui eumdem Annibalem adhortantem suos facit sub pugnam Cannensem, lib. IX.

*——— Raptor per sæcula longa*
*Dardanus edomitum vobis spoliauerit orbem.*

Minimè verò: paupertina tunc Roma, neq; dum in illud spoliarium cruentæ exuuiæ congestæ edomiti orbis. Vterque æuum suum pro veteri, cùm hæc scriberet, mente complexus est: quæque essent vera & apta, si ab ipsis dicerentur; desinunt esse talia, cùm ad priscos illos relegantur.

## CAP. XXVI.

### *Curtij numeralis error de exercitu Darij.*

ERrorum in libris magna seges & materia numerales notę, nec ratio scrupulosa est, tam procliui librariorum circa eas lapsu. Manifesta res est, tum multis è locis, tum ex isto Q. Curtij, quo numerat copias Darij, quas in Ciliciam duxit contra Alexandrum, Lib. III.

*Vniuersas vires in conspectum dedit, & circumdato vallo, quod decies centenùm millium armatorum multitudinem caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit.*

Hæc ita recentiores libri, cùm prisci præferant, *decem millium armatorum.* Neutri fideliter, quòd & hi minuunt valde, & illi nimium quantum augent. Enimuerò grandis ille numerus vanus & * ἀδόξαστον: quē vel ipse Curtius refellat, vbi de copiis Darij ad Arbela: *Dimidio fermè maior exercitus erat, quàm in Ciliciâ fuerat.* * *inopinabilis.*

D 3 Ergóne

* magna nuga. Ergóne ille vicies centenûm millium? * λῆρος πολύς. imò *octingentorum millium peditum, ducentorum millium equitum*, ex Diodori fide. Quem eumdem si audimus in priore numero (quod ipsius exemplo Curtij faciamus, qui multa ab illo mutuatur) si, inquam, audimus, emendabimus in Curtianis, *sexies centenûm millium.* Tot enim in Ciliciâ ille numerat; at Arrianus tantùm *millia quingenta.* Curtij summæ, quas distinctè subiicit, hunc ipsum numerum non efficiunt; nec eæ scilicet correctæ.

## CAP. XXVII.

### *Antilogiæ suspicio ab Hirtio & Suetonio segregata.*

AD pacem inter scriptores conciliandam nihil profectò videtur efficacius, quàm diligens obseruatio distinctióque temporum, eóque potissimùm remedio quicquid inter Hirtium & Suetonium dissensionis ac dissidij vir doctus esse censuit, omnino tolli componíque posse existimo. Verba sunt & querelæ Cæsaris Commentario VIII. Gallicorum:

> *Ereptum Ser. Galbæ Consulatum, cùm is multò plus gratiâ & suffragiis valuisset, quòd sibi coniunctus & familiaritate & necessitudine legationis esset.*

Si verè hæc & ex animo Cæsar, quid ita Suetonius in Galbâ, cap. III. caussam huius repulsæ in ipsum Cæsarem transfert? Nam ait: *Eius Galbæ nepos* (hic ipse noster) *ob repulsam Consulatus infensus Iulio Cæsari, cuius legatus in Galliis fuerat, conspirauit cum Cassio & Bruto.* Apparet iniuriam hanc à Cæsare illatam, atq; adeò Galbam eius cæde se vindicasse. Hoc & Cicero indicat Philippicâ XIII. vbi hæc verba ex epistolâ M. Antonij: SER. GALBAM EODEM PVGIONE SVCCINCTVM IN CASTRIS VIDETIS. Subiicit Cicero: *Nihil tibi de Galbâ respondeo, fortissimo & constantissimo ciue. coràm aderit, præsens tibi ipse, & ille, quem insimulas, pugio respondebit.* Nam pugionem hunc intellegit, quo Cæsarem interfecit. Quis litem hanc dirimat & incîdat? Tempora distinguenda sunt. Prior enim illa repulsa euenit, cùm Cæsar in Galliâ: quod ex narratione Hirtianâ constat; hæc posterior, Cæsare iam Dictatore, & rerum honorúmque potente.

Cùm

Cùm igitur tunc magistratus ordinaret, Galbam iterùm petentem distulit aut reiecit. quod ei sic perdoluit, vt in necem Cæsaris cum Cassio conspiraret: illo Cassio, qui ipse ob caussam similem, vt Velleius memoriæ prodidit, cum Bruto coniurationis auctor. Designat posterius hoc tempus vno verbo Suetonius, cùm ait: *cuius legatus fuerat.* non ergo nunc erat, cùm secundò petebat.

## CAP. XXIIX.

### *Liuij locus corrigitur & declaratur.*

QVod in Liuij XXII. legitur,

*Celtiberi principes, qui regionis suæ legatos obsidésque dederant Romanis, nuntio misso exciti à Scipione arma capiunt.*

in tenebris aut in vitio est. Nam qui isti *regionis Legati*? Ioh. Saxonius in suis ad Liuium notis explicat *Vicarios, & quos vulgò dicimus Locum-tenentes.* Apage, non sic Latini. Liber scriptus ex parte subuenit, qui habet traiectis vocibus: *Celtiberi, qui principes regionis suæ.* vt non legati regionis, sed principes sint. Sed, vt diximus, ex parte: quia suspectum etiam & durum, *Dare legatos.* Obsides sanè damus, at illos mittimus. Velim: *qui principes regionis suæ legarant, obsidésque dederant.* Duo commemorat amicitiæ & fœderis signa. Celtiberi, inquit, primores gentis suæ legatos miserant, & obsides quoque præterea dederant. Hæc autem legatorum missio suprà indicata his verbis: *Reditúmque in citeriora prouinciæ, quò omnium populorum qui Iberum accolunt, multorum & vltimæ Hispaniæ legati venerunt.*

## CAP. XXIX.

### *Vitium in Curtio animaduersum. Roxanem Oxatris, non Cohortani filiam fuisse.*

EGo iam diu mecum disputo, &, Homeri verbis,

* —— κτ' φρένα μερμηρίζω,

quid ita Roxanem Cohortani Satrapæ filiam Q. Curtius faciat, quam

* *Studiosè in pectore versò.*

quam alij consensu Oxatris vel Oxyartis. Verba eius sunt hæc, libro VIII.

*Inde peruenit in regionem, cui Cohortanus Satrapes nobilis præerat, qui se regis potestati fideique permisit. Ille imperio ei reddito, haud amplius, quàm vt duo ex tribus filij secum militarent, exegit. Satrapes etiam eum, qui penes ipsum relinquebatur, tradit. Barbarâ opulentiâ conuiuium, quoniam regem accipiebat, instruxerat. Id cùm multâ comitate celebraret, introduci* XXX. *nobiles virgines iussit: inter quas erat filia eius Roxane eximiâ corporis specie & decore habitus in barbaris raro.*

Vides ex contextu & serie, palàm appellari Roxanem. Atqui Arrianus cautus & veri diligens historicus ita scribit: Καὶ ἦν Ὀξυάρτῃ παῖς παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου, Ῥωξάνη ὀνόματι: *Erat Oxyartis filia virgo iam viro matura, Roxane dicta.* Atque adeò Alexander apud Curtium lib. X. *Ergo ipse Oxatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiuâ liberos tollere.* Iterumque Curtius indicat, lib. IX. *Oxatres Prætor Bactrianorum non absolutus modò, sed etiam iure amoris, amplioris imperij donatus est finibus.* Vbi Curtius sanè quàm eleganter *iús amoris* dicit, quia non ex merito promotus, sed ab hoc in filiam affectu. Quid igitur? illum pro Cohortano substituimus? temerarium sit & falsum. Nam quæ hîc narrantur non congruunt Oxyarti, qui iam diu in fide regis. Puto hiatum aliquem & defectum esse, & post illa de Cohortano narrationem fuisse de Oxatris comitate & conuiuio, cuius caussa siue occasio deest. Ponamus igitur ἐκλείψεως notam inter hæc verba: *tradit * barbarâ opulentiâ.* Nam vt aliter nunc suppetias feram, non est copia.

## CAP. XXX.

## *De Circo & mappa missione.*

QVod à Pyrrho Ligorio, ceterísque qui Circum delinearunt & descripserunt, aut perperam expressum aut prætermissum est, in præsentiâ monendum existimaui: dexteram videlicet eius partem spatium occupasse latius quàm sinistram. Vidimus in eo, qui iuxta viam Appiam est vnus omnium, qui fuere,

fuere, maximè integer; & aliquantum submirati, caussam anquirere cœpimus, móxque inuenisse visi sumus. Procursionis nempe initium hinc fiebat, pluré sque simul quadrigæ effundebantur. has autem, vbi longiùs proueherentur, disiungi necesse erat; atque ita, aliis ante alias emicantibus, angustiora facilè spatia sufficiebant.

Irroborauit etiam inueterauítque paullatim opinio, Prætorem Editorémve, vt signum committendorum Circensium daret, ingentem vtraque manu mappam misisse, eóque modo Ligorius depinxit. Verùm hæc sollicitat Lapis antiquus apud portam Nomentanam, vbi id ipsum fit vnâ tantùm manu, linteolúmque siue mappula fimbriata, muccinij instar, excutitur atque mittitur. Sed ellum, vt verba compendi faciamus, & oculis certiùs dijudicemus.

*Inserendus hîc Iconismus missionis mappæ.*

## Cap. XXXI.

### *Desperatus & depositus Liuij locus sanatus.*

IN Liuio, lib. XXII.

*Consules M. Atilius Regulus, Cn. Seruilius Geminus, exercitu accepto, hibernaculis maturè communitis (tum enim autumni tempus erat) Fabij artibus cum summâ inter se concordiâ bellum gesserunt.*

Mira & prodigiosa hîc scriptio veterum librorum: *M. Atilius Fabianus, Cn. Seruilius Musicanus*, aut *Nusitanus*. Nec aliter etiam antiquitus excusi. Glareanus & Sigonius, tam multi in studiis ac celebrati nominis, non hîc par ceteris factis suis fecere; & audacter potiùs, quàm feliciter, hæc quæ habemus substituerunt. Non enim illa cognomina Consulum, inquiunt, vt è Fastis patet. Fateor; sed nónne tamen attentiùs cogitandum erat super librorum pertinace illo consensu? Ego non is homo sum qui sciam

E diuini-

*Arist. VII Eudemiorum.

*prudentium & sapientium velocē esse diuinationem.

diuinitus; neque me fugit quod summus ille * Sophus scripsit, * φρονίμων ϗ σοφῶν (à quibus me titulis longissimè abesse scio) ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντείαν· dicam tamen quod in mentem mihi venit, & eruditis, vt spero, viris approbantibus rescribam; *M. Atilius Fabiano, Cn. Seruilius Minuciano exercitu accepto.* Consules nempe pro more veteri copias inter se diuiserunt, & Atilius quidem Fabianum exercitum accepit, Seruilius Minucianum. Ista autem diuisio paullò antè inter duos Dictatores facta: *cùm prima & quarta legio Minutio, secunda & tertia Fabio euenerunt.* Ita enim Liuius ipse suprà. Nihil alienius ingenio meo quàm iactantia & * μεγαληγορία, satísque commemini Poëtæ monitum,

*magniloquentia.

*Non est se supra vires iactare decorum.

*dextrè & feliciter.

* ——— οὐ καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι.

non verebor tamen dicere * εὐστόχως ϗ δεξιῶς, præ quàm aliis fuit, hunc locum à me tentatum videri.

## CAP. XXXII.

### *Conatus in duobus Hirtij locis emaculandis.*

HIrtius de bello Alexandrino, vbi raponem illum Longinum describit:

> *Pecuniæ locupletibus imperabantur, quas Longinus sibi expensas ferri non tantùm patiebatur, sed etiam cogebat. in gregem locupletium simultatum caussæ tenues coniiciebantur, neque vllum genus quæstus prætermittebatur.*

Dictio *simultatum* huic sententiæ non satis apposita videtur. Scribo: *mulctarum.* Cassius Longinus, inquit, tenues aliquas & leuiculas caussas diuitibus impingebat, ob quas certâ pecuniâ eos mulctaret. Non item ad palatum meum est hoc eodem libro:

> *Nam neque interfectis amissam vitam, neque exsectis virilitatem restituere posse. quod quidem supplicium grauius morte ciues Romani subiissent.*

Quæ verba Cæsaris sunt sæuitiam Pharnaci meritissimò obiectantis. Nónne verò nihili & vacuum ibi verbum est, *amissam?* mihi quidem videtur; & si quid tale addendum, aptius fore, *ereptam.*

*ereptam.* Vt coniecturam tamen meam iterùm promam, libenter rescribam: *interfectis Amisi vitam.* Historiam hoc illustret atque factum, de quo Appianus I I. Ἐμφυλίων: Ἀμισὸν πόλιν ἐν τῷ Πόντῳ ῥωμαΐζουσαν ἐξηνδραπόδισε, καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τομίας ἐποιήσατο πάντας. *Amisum Ponti vrbem ad Romanos inclinantem diripuit, in seruitutem ciuibus abductis: eorumque liberos omnes exsecuit.* Tamen fluctuat mihi animus, & * οὐκ εἰδὼς, ἀλλὰ εἰκάζων, id dico.

* *non probè sciens, sed coniecturâ ductus.*

## CAP. XXXIII.

### *Q. Curtius aliquoties castigatus.*

PHilotas coniurationis reus forti sanè & facundâ oratione apud Q. Curtium caussam suam agit. In [illegible] quoque exstant:

> *Non mehercule ista me magis lædunt, quàm quòd Amyntas Perdiccæ filius insidiatus est regi. cum quo quòd amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem regis non oportuit diligi à nobis.*

Legendum censeo: *non recuso dependere.* litterulâ immutatâ, sed longè commodiore sensu. Ego paratus sum, inquit, luere hanc culpam, & pœnas pendere, si nefas amare eum, quem rex amat. In Alexandri quoque oratione, quâ Philotam culpat, scriptum vitiosè:

> *Deûm prouidentiâ & misericordiâ viuo, conspectusque vestri venerabilis coëgit, vt vehementiùs parricidis irascerer, quoniam spiritus, imò vnus vitæ meæ fructus est, tot fortissimis viris & de me optimè meritis referre adhuc gratiam posse.*

Nam τὸ *spiritus* * ὑπονενόθευται), libenterq; verbum vicarium ei dem, *supremus.* Ἀνώφελον hoc & clarum. In extremo verò libro, retectâ iam & oppressâ coniuratione, quasi acclamationem & epiphonema auctor addit:

* *suppositium est.*

> *Magno non salutis, sed etiam vitæ periculo liberatus erat Alexander. Quippe Parmenio & Philotas principes amicorum, nisi palàm sontes, sine indignatione totius exercitus non potuissent damnari. Itaque anceps quæstio fuit. Dum inficiatus est facinus,*

*nus, crudeliter torqueri videbatur; post confessionem ne amicorum quidem misericordiam meruit.*

Sordent squallentque hæc verba: *magno non salutis, sed etiam vitæ periculo.* An enim salus & vita diuersa? non priscis quidem Latinis. Quare rescribendum autumo: *non salutis, sed & inuidiæ.* Alexander, inquit, non solùm salutis & capitis discrimen effugit, sed etiam inuidiæ & calumniarum flammam, per confessionem hanc Philotæ. Fortè etiam rectiùs legatur: *Ita cùm anceps quæstio fuit, dum inficiatus est facinus, crudeliter.* Sed non temerè affirmo.

## CAP. XXXIV.

*Quid Abacus & Delphica: quando Romam & vn[illegible]ecti? quâ materiâ: quomodo vasa in iis disposit[illegible] In Plinio coniectura.*

FAtendum est, ab Asiâ Græciaque cultum & elegantiam manasse; nec artes inde solùm & disciplinas, sed supellectilem quoque lautiorem ac magnificentiæ choragium, Romanos accepisse. Quædam huius generis ab historicis nominantur. Liuius lib. XXXIX. de triumpho Manlij ex Asiâ & Gallo-Græciâ, deque eius militibus: *Ii primùm plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam aduexerunt.* Et Plinius libro XXXIV. cap. III. *Triclinia ærata abacósque & monopodia Cn. Manlium, Asiá deuictá, primùm inuenisse triumpho L. Piso auctor est.* Vbi legendum, ὡς ἐν παρέδῳ τινὶ λέξω, *inuexisse.* Romam enim ille modò transtulit, & diu antè nota hæc Asiaticis & inuenta. Quid autem per *Abacum* hîc intelligitur? non aliud quàm mensula minor, quæ seorsim ad cenaculi latus stabat, poculis & vasis ad potum ferendis. Apertè hunc vsum Cicero ostendit, in Verr. *Abaci vasa omnia, vti exposita fuerant, abstulit.* Plinius libro XXXVII. cap. II. narrat, in triumpho Pompeij de Asiâ & Ponto translata *vasa ex gemmis & auro abacorum nouem:* id est, quæ vel abacos nouem implerent. Nominat Sidonius lib. II. *In hac* (cenatiunculâ) *stibadium & nitens abacus.* Cur *nitens*? quia ex marmore, argento, auro, aliáve materiâ

pretio-

pretiosiore factus. Vulgò quidē è marmore. Id Horatius voluit:

——— *Lapis albus*
*Pocula cum cyatho duo sustinet.* ———

Ibi Scholiastes vetus: *Mensa marmorea, quam Delphicam vocant.* Sed ex rariore etiam materiâ apud diuites: vt Plinius notat de Murrhinis: *Protinus ad hominum vsum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis.* etsi veriùs fortasse ibi scribatur, *abaci etiam:* vt significet non ipsos abacos, sed eorum vasa (quod palàm est) item escaria ex murrhinis concinnata. Sed notandum in Scholiaste Horatiano, idem *Abacum* & *Delphicam* esse: quod ipsum Iuuenalis Scholiastes in illud,

——— *Vrceoli sex*
*Ornamentum abaci.* ———

*Quod nos*, inquit, *Delphicam dicimus.* Itaque recepta & vsitata vox *Delphica.* Vnde nomen? an quia Delphis eiusmodi mensulæ, in quibus exposita donaria, Apollini sacræ? Sanè quod Plutarchus in Solone & Laërtius in Thalete τρίποδα aureum appellarunt, qui nimirum sapientissimo daretur, id Valerius in ipsâ eâ historiâ *auream mensam Delphicā* dixit. Ea vox etiam in Martiale:

*Argentum atque aurum non simplex Delphica portat.*

Significat, vel operosum abacum, nec è simplice soloq; marmore, vel non vnum, sed plures pro copiâ poculorum, in diuite hac domo fuisse. Sidonius indicat, strui per loculamenta in iis vasa solere:

*Nec per multiplices, abaco splendente, cauernas,*
*Argenti nigri pondera defodiam.*

Qui mos adhuc seruatur, ac ministerij hæc vasa per gradus & ordine disponuntur. Agrœtius vetus Grammaticus scribit per paria solemne fuisse collocari: *In Delphicâ*, inquit, *comparia vasa semper sunt.* Vnde ipse Cicero dicebat: *Scyphorum paria complura.* In Glossis priscis legimus: *Abacus, Delphica, μανσίεριον.* Ab vsu nempe; quemadmodum Hispani hodie *Aparador*, & Itali *Credenza.* Sic Lampridius in Alexandro: *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium eius numquam transiit.* Ibidem: *Argentum in ministerio plus ducentis libris non habuit.* Vopiscus in Tacito: *Argentum mensale, quod priuatus habuerat, ministeriis conuiuiorum, quæ in templis fierent, dedicauit.*

 CAP.

## CAP. XXXV.

### *Cæsaris quædam loca tentata.*

SEcundo Com. Ciuilis belli, de rebus à Curione in Africâ gestis:

> *Sed hoc itinere est fons, quò mare succedit, longè lateque is locus restagnat.*

Mirum satis fontem hîc esse, & mare in eum succedere. An scribendum? *pons, quòd* (ita Ciacc. è suo cod. pro *quò*) *mare succedit, & longè lateq; is locus restagnat*. Quasi dicat: Est eâ parte viæ pons structus, non quòd flumen aliquod illic, sed quia mare longiùs in terram se insinuat, & æstuarium stagnumque facit. eius pars ponte transeunda. Com. III.

> *At Labienus cùm ab eo impetrauisset, vt sibi captiuos tradi iuberet, omnésque deductos* (Faërnus, *productos*) *ostentationis, vt videbatur, causâ, quò maior perfugis fides haberetur, commilitones appellans, & magnâ verborum contumeliâ interrogans, soléréntne veterani fugere, in omnium conspectu interfecit.*

Non omnino capio, quid de *Perfugis* hîc velit. Nihil tale præ-
*inenarrabile.* iuit aut sequitur, & mihi quidem * ἀδιήγητον est, quibus perfugis fides hoc facto concilianda sit. Reformo leuiter in aliam sententiam: *perfugio fides haberetur*. perfugio nimirum ipsius Labieni. Hoc fine crudelitas hæc suscepta, vt ostenderet se bonâ fide Pompeianum esse, & alienissimum ab illis partibus, in quas
*leue mendum.* tam fœdè sæuiret. Est & alterum inibi * ἐλαττωμάτιον:

> *Senatores omnes ex prouinciâ vocasse, vt iis testibus summa pecuniæ vteretur.*

Quod, vt opinor, tollitur, si legimus, *summa pecuniæ iniretur*. Sed quid hæc minuta colligo? vix pretium curæ est, & tamen remoram sæpè faciunt Lectori.

CAP.

## CAP. XXXVI.

### *In Liuio diuinationes.*

OCcultum sed certum vitium est in his Liuij verbis libro XXI. de Annibale iter faciente:

*Quartis castris ad Insulam peruenit. Ibi Arar Rhodanúsque amnes diuersis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantum amplexi confluunt in vnum.*

Minimè *diuersis*, sed *diuersi*. Ex iisdem enim Alpibus Arar & Rhodanus orti, seorsim disparatique aliquamdiu fluunt. Seneca in Apocolocynthosi:

*Vidi duobus imminens fluuiis iugum,*
*Quod Phœbus ortu semper obuerso videt:*
*Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,*
*Ararque dubitans quò suos cursus agat.*

Eodem libro, de procuratione prodigiorum,

*Signum æneum matronæ Iunoni in Auentino ædificauerunt.*

Bellè. Signa scilicet & æreæ statuæ ædificantur, vt domus, ac templa. Ridiculum est, & tamen deprauatio ea manifestaria in omnibus adhuc libris. Quin tu lege, *dedicauerunt*, & Liuium impuri sermonis absolue.

## CAP. XXXVII.

### *Curtij duo loci pristino nitori restituti.*

OFfendunt nos in honestissimâ Q. Curtij facie etiam paruæ labes. Talis est in oratione, quâ milites suos Alexander increpat, missionem importunè flagitantes, & quidem in hac eius parte, libro X.

*Omnem herculè spem, quam ex vobis conceperam, damno: nec, vt cum militibus meis (iam enim esse destitistis) sed vt cum ingratissimis oportet, agere decreui.*

Satin' enim concinno sensu sunt hæc postrema? *vt cum ingratissimis oportet.*

——— * ἐγὼ δ' οὐκ οἴομαι εἶ).

--- * ego verò haud arbitror esse.

Erunt autem, si legas: *vt cum ingratissimis operis*. Non vltrà vobiscum, inquit, quasi cum militibus aut ingenuis agere mihi decretum est, neque præmia dare aut munera; sed, vt vilibus mercenariis, appendere debitam modò diurnamque vestram mercedem. *Operarum* scilicet vox ignominiam habet, quadratque in eos, qui viles & lucello tantùm inhiantes. * Σύστοιχον est huic istud Ciceronis pro Sestio: *Erat mihi contentio non cum victore exercitu; sed cum operis conductis, & ad diripiendam vrbem incitatis.* Spero, vt cum Pindaro dicam, hoc iaculum * οὐκ ἀγῶνος ἔξω βαλεῖν, & ita caput hoc concludo.

* Cognatū.

* non extra certamen iecisse.

## CAP. XXXIIX.

### *De armillis Collectanea. Glossa & Isidorus emendati. Tertullianus illustratus.*

ARmillas inter dona militaria legimus. Quid fuerunt? rotundi circuli ex argento vel auro, quibus summum brachium cingebant, idque ornatus caussâ. Festus: *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quòd antiqui humeros cum brachiis armos vocabant. vnde arma ab his dependentia sunt vocata.* Ait, *ex auro*. atque ita apud Valerium lib. VIII. cap. XIV. *Scipionem dona militaria diuidentem T. Labienus admonuit, vt forti equiti aureas armillas tribueret.* Sed fuere etiam sæpissimè *ex argento*. In eo ipso Valerij loco, Scipio non paruit Labieno, &, *Imperator te*, inquit, *argenteis armillis donat.* Sic Liuius lib. X. *Equites omnes ob insignem pluribus locis operam, corniculis armillisque argenteis donat.* Capitolinus in Maximino: *Seuerus militares ludos dabat, propositis præmiis argenteis, id est armillis, torquibus, baltheolis.* In lapidibus etiam priscis testimonia huic ritui; vt Taurini: C. GAVIO. L. F. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. CORONA. AVREA. Festus Galbeos siue Calbeos eiusmodi armillas ostendit olim dictas. *Calbeos*, inquit, *armillas dicebant, quibus triumphantes vtebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.* Facit huc quod ille idem: *Galbeum ornamenti*

*menti genus.* Atque olim sanè Armillæ istæ in vsu; sed, vt videtur, per luxum. De Sabinis Liuius lib. I. in arcis proditione: *Quòd vulgò Sabini aureas armillas magni ponderis brachio læuo habuerint.* Dionysius in eâdem re: Καὶ αὐτὴν ἔρως εἰσέρχεται τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν: *Atque ipsam* (Tarpeiam) *cupido subiit armillarum, quas circum brachia sinistra gerebant.* & addit: Χρυσοφόροι γὰρ ἦσαν οἱ Σαβῖνοι τότε, καὶ Τυρρηνῶν οὐχ ἧττον ἁβροδίαιτοι: *Auri enim gestores tunc Sabini erant, & non minùs quàm Etrusci molli vitæ addicti.* Ac posteriore etiam æuo armillæ per delicias gestatæ. Petronius de suo Trimalcione: *Dextrum nudauit lacertum, armillâ aureâ cultum.* Athenæus in reliquo Samiorum luxu, lib. XII. Ἐφόρουν χλιδῶνας ἐπὶ τοῖς βραχίοσι: *Ferebant armillas in brachiis.* Sed & Caligula manuleatus & armillatus in publicum processit: Sueton. cap. LII. Etiam Nero (in eodem Suetonio cap. VI.) *exuuias serpentis aureæ armillæ inclusas dextro brachio gestauit.* Credo hæc esse, quæ Tribunis militũ dari solebant, & *Brachiales* appellabantur. Trebellius in Claudio, ex epistolâ Valeriani: *Anulum bigemmeum vncialem, brachialem vnum vnciarum septem.* Vopiscus ex epistolâ Aureliani: *Stipendium in baltheo, non in popinâ habeat, torquem, brachialem & anulum apponat.* Atque vt Latini *Brachiales*, ita Græci Βραχιστῆρας aut Βραχιστήρια dicunt. Etiam in Glossis priscis Latinam vocem expressam inuenias: Βραχιάλιον, *Veriola.* Corrige, *Viriola.* Vt in iisdem: ψέλιον, *Viriola, Armilla.* Isidorus lib. XIX. cap. XXXI. *Dextras communes esse virorum ac feminarum, quia vtriusque sexus dextræ sunt. Armillæ autem propriè virorum sunt, collatæ victoriæ caussâ militibus ob armorum virtutem. Vnde & quondam vulgò Viriliæ dicebantur.* Scribe, *Viriolæ.* Ampliùs, *Dextral commune est virorum:* quod res exigit & contextus. *Dextralia* nominat D. Gregorius lib. III. epist. CI. *Sicut ex auro vno alij murænas, alij anulos, alij dextralia ad ornamentum faciunt.* Quæ ipsa *Dextrocheria* dicta. Capitolinus in Maximino: *Pollice fuit ita vasto, vt vxóris dextrocherio vteretur pro anulo.* Idem in Maximino Iuniore: *Dextrocherium cum costulâ de hyacinthis quattuor.* Trebellius Pollio in Quieto Macriani F. tyranno: *Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis & in anulis & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt.* Iuuenalis etiam, vt propria feminarum, ea tangit, Sat. IX. vbi

F munera

munera recenset pathico cuipiam mittenda, quasi mulieri:

*En cui tu viridem vmbellam, cui succina mittas*
*Grandia.*

Scholiastes vetus ibi: *Gemmata dextrocheria.* Et sanè illud discrimen inter Armillas & Dextrocheria siue Dextralia indicare etiam Tertullianus videtur, De pallio, cap. IV. *Cùm latrinarum antistes sericum ventilat, & immundiorẽ loco ceruicem monilibus consolatur; & armillis, quas ex virorum fortium donis ipsæ quoque matronæ temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit.* Nam armillas à matronis abdicat, etsi fatetur vilissimos homines (sed diuites) eas vsurpasse. *Latrinarum antistes* est, vt opinor, qui *foricas conducit*, apud Iuuen. Sat. III. Nec plura de Armillis, nisi quod Festus Plautinum Spinther huc trahit: *Spinther*, inquit, *vocabatur armillæ genus, quod mulieres antiquæ gerebant summo brachio sinistro.* Priscianus lib. V. *Spinther quod* ἀκρόχειρον *aut fibulã in humeris aut armillam significat.* Et subiungit loca Plauti è Menæchmis.

## CAP. XXXIX.

### *Coniectura triplex in Liuio. una in Ammiano.*

APud Liuium in oratione P. Scipionis, suos ad pugnam in Annibalem hortantis, ita scriptum, lib. XXI.

*Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. Nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauere, eos duabus partibus peditum equitumque amissis, qui plures penè perierint quàm supersint, plus spei nactos esse. At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis vlla possit. Effigies, imò vmbræ hominum, fame, frigore, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupésque: adhæc perusti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu.*

Pluscula transscripsi propter duplicem mendam. Anterior in verbo, *penè.* quod aut ablegandum, aut mutandum in *planè.* Cùm enim lineâ superiore proximâ adfirmatè Scipio dixerit, duas partes hostium amissas, cur nunc ambigat & mutet? Parùm hoc decorum sit: vtique in concione publicâ, cumque verè & confidenter asserere possit, plures periisse, quàm supersint.

Nam,

Nam, vt omittam de tertiâ tantùm parte reliquâ, quod illum pro causſâ magis quàm pro vero dixiſſe credo, Polybius periiſſe vel in Alpibus ait, σχεδὸν πως τὴν ἡμίσειαν τῆς δυνάμεως: *circiter dimidium exercitus*. En priorem mendam. Altera videtur in voce, *torrida*. quæ cum gelu rectè quidem alibi iungitur, vt ſuprà: *pecòra iumentáque torrida frigore*; verùm hoc loco nec ſcitè nec opportunè. Nam præiuit in hac ipsâ clauſulâ, *peruſti artus*; & inuenuſtum iſtud, δὶς ταὐτό. Itaque ſcribendum aio, *torpida gelu*; & vnà mecum Silius, qui hæc è Liuio proculdubiò ſic hauſit:

*Hoſtem miles habes fractum ambuſtúmque niuoſis*
*Cautibus, atque ægrè torpentia membra trahentem.*

Lib. XXII. de pugnantibus ad Thraſymenum:

*Tantuſque fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, vt eum terræmotum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes proſtrauit, auertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapſu ingenti proruit, nemo pugnantium ſenſerit.*

Nil temerè muto. Vult fortaſſe auctor, in locum fluminibus vacuum mare ſe inſinuaſſe, cùm illa nouum ſibi alueum & curſum quæſiſſent. Tamen dubitabam leuiter, an non *culminibus*: vt dicat, mare ſublatum expulſúmque in ipſos montes. Silius ita hîc:

——— *Lacus ater in altos*
*Sublatus montes, & ſede excuſſus auitâ.*

Et Ammianus in terræmotu, qui ſub Valentiniano: *Ingentes aliæ naues extruſæ rapidis flatibus* (fortè fluctibus) *culminibus inſedere tectorum.*

## CAP. XL.

### *In Polybio loci nomen de opinione repoſitum.*

QVid Polybius velit, haud facilè aſſequare, dum ſcribit, libro III.

Κρίνων δὲ συμφέρειν τὸ κατὰ πάντα τρόπον ἀναγκάσαι μάχεσθαι τοὺς πολεμίους, καταλαμβάνει τῆς τῆς καπῆς προσαγορευομένης πόλεως ἄκραν· εἰς γὰρ ταύτην συνέβαινε τόν τε σῖτον καὶ τὰς λοιπὰς χορηγίας ἀθροίζεσθαι τοῖς Ῥωμαίοις, ἐκ τῶν περὶ Κανύσιον τόπων.

Quæ verba ſic ab interprete verſa: *Cùm ſtatuiſſet vſque adeò premere Romanos, vt neceſſariò in prælium deſcendere cogerentur, Neapolitanam arcem occupat, frumento & omni commeatus genere munitiſſimam.* Quid? Neapolitanam arcem Annibal? graue vulnus Romanis infligitur; ſed mihi inauditum. Legimus quidem aliquantò poſt Cannenſem pugnam Annibalem * affectaſſe Neapolim, ſed fruſtra. Numquam ille obtinuit maritimam eam vrbem, aut eius arcem; quî verò nūc poſſet, cùm in Apuliâ maritimâ verſetur, id eſt diuerſo valde tractu? Falſa non dubiè interpretatio: ſed nec lectio, vt opinor, vera. A'nne τῆς Καλήλης πρ. πολ. ἄκραν? Certè eam agnoſcit auctor in hac regione ad Geronium paullò antè vbi de Minucio: Ἀφικόμενος δὲ ἐπὶ τὴν ἄκραν, ἣ κεῖται μὲν ἐπὶ Λαρινάτιδος χώρας, προσαγορεύεται δὲ Καλήλη: *Adueniens in arcem quæ in Larinatium regione ſita; appellatur autem Calela.* Nam hunc locum caſtris occupauit, & muniit Minucius, cumque aggeſtio illic facta commeatuum, videtur nunc eo Annibal potitus. Nec turbet aliquem quòd πόλιν ſiue opidū Polybius appellet. Nam, quid ſi fuerit opidum arci iunctū aut ſubiectum? Quid etiam, ſi interpolata lectio ſit, & illud πόλεως gloſſematium & aliena vocula? Huc equidem inclino, niſi ſecùs iudicauerit litterarius ille Prætor, cuius operâ Polybium, quaſi Virbium aliquem, * παλιγγενῆ breui exſpectamus; & adipiſci tam gratum erit, quàm ſperare prolixum eſt.

* Liu. initio lib. XXIII.

* renatum



PHI.

# PHILIPPI RVBENI ELECTORVM LIBER II.

## CAP. I.

*Vestibus olim versus & tituli inscripti. sed & imagines intextæ.*



*Vantum æui longinqua valet mutare vetustas?* Quis nunc ferat, præterquam in scenâ, spectaculis & rebus ludicris, inscriptas versibus ac titulis, aut variis depictas imaginibus vestes? Et tamen has olim frequenti in vsu fuisse è scriptis veterum constat. Vt omittam Homerum, qui variegatam animalium figuris tunicam Vlyssi attribuit; vt taceam de Massagetis, quos Herodotus herbarum succo pinxisse animalia in vestibus tradit, & hæc talia casca nimis & vetusta; sub ipsis Cæsaribus in imperio Romano legimus idipsum vsurpatum. Et quidem apud Spartianum in Carino, de pallio tyrianthino, cui Messallæ nomen & vxoris inscriptum: apud Ausonium etiam in Epigrammatis, de Sabinâ textrice simul & Poëtriâ:

*Licia qui texunt & carmina, carmina Musis,*
*Licia contribuunt casta Minerua tibi.*
*Ast ego rem sociam non dissociabo Sabina,*
*Versibus inscripsi quæ mea texta meis.*

De eâdem:

*Siue probas Tyrio textam subtegmine vestem,*
*Seu placet inscripti commoditas tituli;*

*Ipsius hoc dominæ concinnat vtrumque venustas:*
*Has geminas artes vna Sabina colit.*

De Hermiones zonâ:

*Punica turgentes redimibat zona papillas*
*Hermiones: zonæ textum elegēon erat:*
*Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me,*
*Exemploque tuo neminem amare vetes.*

In gratiarum actione, ex epistolâ Gratiani Augusti: *Palmatam tibi misi, in quâ Diuus Constantius parens noster intextus est.* Sed vt palàm fiat, quod initio dictum, frequens id atque adeò promiscuum & cōmune omnibus fuisse, audiamus Asterium Amaseæ episcopū, in Homiliâ quâdā* ἀνεκδότῳ de diuite & Lazaro, vestes eiusmodi, dum vsum earum carpit, nimis quàm graphicè describentem: Οὐ δὲ μέχρι τῶν εἰρημένων ἔστησαν τῆς μωρᾶς ἐπινοίας τοὺς ὅρους, ἀλλά τινα καινὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην τῆς γραφικῆς μιμεῖται τὴν δύναμιν, καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐνσημαίνεται, τὴν ἀνθηρὰν καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην φιλοτεχνοῦσιν ἐσθῆτα ἑαυτοῖς τε καὶ γυναιξὶ καὶ παισίν· παίζοντες λοιπὸν, οὐ σπουδάζοντες, κατὰ τῆς ἀμετρίας τοῦ πλούτου παραχρώμενοι τοῦ βίου, οὐ χρώμενοι, ἀντινομοθετοῦντες τῷ Παύλῳ καὶ μαχόμενοι ταῖς θεοπνεύστοις φωναῖς, οὐ γράμμασιν, ἀλλὰ πράγμασιν. ἃ γὰρ ἐκεῖνος ἀπεκήρυξε λόγῳ, ταῦθ' οὗτοι κρατοῦσι, καὶ κυροῦσι τοῖς ἔργοις. ὅταν οὖν ἐνδυσάμενοι φανῶσι, ὡς τοῖχοι γεγραμμένοι παρὰ τῶν συντυγχανόντων ὁρῶνται, καί που καὶ τὰ παιδία αὐτοὺς περιΐστανται μειδιῶντα πρὸς ἄλληλα καὶ δακτυλοδεικτοῦντα τὴν ἐν τοῖς ἱματίοις γραφήν. βαδίζουσι δὲ παρεπόμενα, οὐκ ἀναχωροῦντα μέχρι πολλοῦ. ἐκεῖ λέοντες καὶ παρδάλεις, ἄρκτοι καὶ ταῦροι καὶ κύνες, ὕλαι καὶ πέτραι καὶ ἄνδρες θηρακτόνοι, καὶ πᾶσα ἡ τῆς γραφικῆς ἐπιτήδευσις μιμουμένη τὴν φύσιν· ἔδει γὰρ μὴ τοὺς τοίχους αὐτῶν μόνον, ὡς ἔοικεν, καὶ τὰς οἰκίας κοσμεῖσθαι, ἀλλὰ δὴ καὶ τοὺς χιτῶνας καὶ τὰ ἐν ἐκείνοις ἱμάτια. ὅσοι δὲ καὶ ὅσαι τῶν πλουτούντων εὐλαβέστεραι, ἀναλεξάμενοι τὴν Εὐαγγελικὴν ἱστορίαν τοῖς ὑφανταῖς παρέδωκαν· αὐτὸν λέγω τὸν Χριστὸν ἡμῶν μετὰ τῶν μαθητῶν ἁπάντων, καὶ τῶν θαυμασίων ἕκαστον, ὡς ἡ διήγησις ἔχει. ὄψει τὸν γάμον τῆς Γαλιλαίας καὶ τὰς ὑδρίας, τὸν παραλυτικὸν τὴν κλίνην ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντα, τὸν τυφλὸν τῷ πηλῷ θεραπευόμενον, τὴν αἱμοῤῥοοῦσαν τοῦ κρασπέδου λαμβανομένην, τὴν ἁμαρτωλὸν τοῖς ποσὶ τοῦ Ἰησοῦ προσπίπτουσαν, τὸν Λάζαρον ἐκ τοῦ τάφου πρὸς τὴν ζωὴν ὑποστρέφοντα. καὶ ταῦτα ποιοῦντες εὐλαβεῖν νομίζουσι καὶ ἱμάτια κεχαρισμένα τῷ Θεῷ ἀμφιέννυσθαι. *Nec verò constituerunt hîc stultæ sollertiæ fines; sed vanâ quâdam & superuacuâ arte texendi inuentâ,*

* inedita.

*uentâ, quæ ſtaminis atque ſubtegminis contextu pictoriam facultatem imitatur, & omnium formas animalium in veſtimentis exprimit, floridam & infinitis imaginibus variegatam veſtem tum ſibi tum vxoribus & liberis ſtudioſè comparant: ludentes etiam in reliquis puerili more, nilque ſedulò vel ſeriò agentes, per immodicas diuitias abutentes vitâ, non vtentes, aduerſantes denique Paullo, pugnantéſque cum iis quæ numinis inſtinctu profatus eſt, non dictis, ſed factis. Quæ enim ille verbo proſcripſit, hæc iſti mordicus retinent, & ipſâ re confirmant. Quandocumque igitur ſic amicti prodeunt, quaſi depicti parietes ab obuiis aſpiciuntur. ſed & pueri eos circumſiſtunt, ridentes inter ſe, digitiſque commonſtrantes in veſtibus picturam. Proſequuntur etiam ad multum ſpatij, neque temerè recedunt. Sunt ibi leones, panthera, vrſi, tauri, canes, ſiluæ, ſaxa ac venatores, & omnia denique, circa quæ pictorum verſatur induſtria, ad imitationem naturæ expreſſa. Neceſſe quippe erat, vt videtur, parietes non ſolùm atq; domos ita adornari, verùm etiam ipſas tunicas & pallia eis ſuperiecta. Qui verò, quæque ex diuitibus illis religioſiores ſunt, ex hiſtoriâ Euangelicâ textoribus argumenta ſuppeditant: ipſum dico Chriſtum noſtrum cum diſcipulis omnibus, & vnumquodque miraculorum, hoc ipſo quo narratur modo. Videbis nuptias Galilææ & hydrias, paralyticum humeris lectum ferentem, cæcum qui luto curatur, mulierem, quæ ſanguinis profluuio laborat, fimbriam prehendentem, peccatricem ad pedes Ieſu accidentem, Lazarum è ſepulcro ad vitam reuertentem. Et hæc dum faciunt, piè ſe facere & veſtimenta Deo grata induere arbitrantur.* Plura quidem adduci à me poſſint; ſed nihil clarius & illuſtrius.

## CAP. II.

### *Mendum è Propertio extritum. Sententia melior & argutior repoſita.*

ITa res habet: eæ ſcriptorum mendæ quæ minùs in oculos incurrunt, & à vero propiùs abſunt, quaſi breuia latentéſq; ſcopuli, incautos maximè fallũt, & pertinaciùs ſedibus ſuis hærent. Eiuſmodi fortè illud è Propertij Elegiâ I X. lib. III. de Cleopatrâ:

*Coniu-*

*Coniugis obſceni pretium Romana popoſcit*
*Mœnia, & addictos in ſua iura patres.*

Quod nullus adhuc Ædilis, ſi probè commemini, vitioſum iudicauit. Et tamen, ſi benè inſpicimus, haberi pro ſano non poteſt. Nec enim coniugis, id eſt Antonij, pretium Romam Cleopatra popoſcit. Illáne Antonium emeret? imò contrà planiſſimè Antonius ipſam totâ Româ. Florus: *Hæc mulier Ægyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum imperium petiit. Et promiſit Antonius: quaſi facilior eſſet Partho Romanus.* Qui profectò dicterium hoc à Propertio ſumpſit, quem emendandum ita cenſeo:

*Coniugij obſceni pretium.*

Sui, inquam, coniugij & communicati tori pretium hoc venuſtiſſima fæmina petiit. Hoc quidem * ἀναντίῤῥητον eſt, & pluribus probare, *tam ſit ſtultum, quàm in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre.* Legitur in Elegiâ XII. lib. I. querela de amicâ abductâ aut immutatâ:

* extra cōtradictionē

*Inuidiæ fuimus. Num te Deus obruit? an quæ*
*Lecta Prometheis diuidit herba iugis?*
*Non ſum ego qui fueram: mutat via longa puellas.*
*Quantus in exiguo tempore fugit amor?*

Quæ poſtrema frigent ac iacent præ ingenio & argutiis Poëtæ. Correctio iuuabit ac diſtinctio:

*Non ſum ego qui fueram? an mutat via longa puellas?*

hac ſententiâ: An ego ſubitò alius factus ſum? an te via longa potiùs immutauit? Simile ferè in Theocrito:

* Ἆρά τις ἐξαπίνας με θεὸς βροτὸν ἄλλον ἔτευξε;

* Num quis me ſubitò Deus aliū hominem fecit

## CAP. III.

### *Liuij locus de coniecturâ correctus.*

SIncerum haberi non poteſt quod apud Liuium eſt lib. XXI. ſub pugnam ad Trebiam:

*Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Inſubrium quinque millia paſſuum à vico tumulis conſedit.*

Sigonius & ante eum Glareanus abeſſe nomen loci cenſuerunt, & hîc

& hic quidem, *tumulis considere* quomodo in plano, vt hîc omnia erât, intelligatur, haut capere se fatetur. Ego vitium potiùs quàm defectum odoror, & è duabus vocibus nomen loci concinno: *à Victumuiis*. Vestigia scripturæ suadent, & Liuius, qui infrà Emporium isto nomine agnoscit; idq; in hoc ipso tractu. *Paucorum inde dierum quiete sumptâ ad Victumuias ire pergit* (nempe Annibal) *oppugnandas*. Nam ita membranæ, non *Vicumuias*, vt libri vulgati.

## CAP. IV.

### *In Hirtio coniectura. Verba in ordinem reposita.*

TEntare locum Hirtij placet, De bello Africo:

> *Dum hæc ad Ruspinam fiunt, legati ex Acillâ ciuitate liberâ etiam vndique ad Cæsarem veniunt, seque paratos quæcumque imperasset, & libenti animo facturos pollicentur.*

Illud *etiam vndique* nimis laxè & ἀορίστως dictum videtur: nec valde subuenit Fuluius, qui diuisim, *& iam*, legit. Ego, quam insistam viam, nescio. Concinnabam tamen ex ductu scripturæ: *&* *immuni*. De solâ enim Acillâ sermo videtur, eamque dicit liberam & immunem; vt suprà de Lepti: *Inde mouit, & peruenit ad opidum Leptin liberam ciuitatem & immunem.* Nota hæc conditio quarumdam vrbium, quibus id beneficio S.P.Q.R. concessum. Idem hic deinde,

> * Ὡς πάντ' ἄγαν γ' ἀινικτὰ κἀσαφῆ λέγεις,

in his nempe verbis:

* *Obscurè vt omnia atque crepere disseris.*

> *Aquila tempestate iactatus promontorium superare non potuit: atque angulum quemdam tutum à tempestate nactus cum classe se longiùs à prospectu remouit. reliqua classis in salo ad Leptin, egressis remigibus, vacua à defensoribus stabat.*

Nam prior narratio expungitur, damnaturque à sequenti. Si Aquila cum classe angulum nactus est, quomodo adiicit, *reliqua classis in salo ad Leptin?* Sed auctor culpâ vacat, & editio prisca verissimè scribit & ordinat: *Aquila tempestate iactatus, cum classe propius promontorium superare non potuit: atq; angulum quemdam tutum à tempestate nactus, se longiùs à prospectu remouit.* Cur

hæc mutata? Nam Aquila ſolus angulum illum cum naui ſuâ cepit; reliqua claſſis ad Leptim appulit.

## CAP. V.

### *Lucani incogitantia & ἀπερισκεψία.*

AMo Lucanum vel ob altum & verè excelſum animum. Seruile nihil ſpirat in mediâ illâ temporum ſeruitute. Atqui dicam,

* Κ' οὐδὲν παρήσω τῆς ἀληθείας ἔπος,

* *Nihilque, verum quod ſiet, non proferam.*

à ſe & à decoro nimiùm recedit; cùm laudatum illum Magnum tam humilem ſubitò támque mollem facit, vt nulla mulier abiectior eſſe potuerit in calamitate. Verſus eius principio lib. VIII.

*Cornipedem exhauſtum curſu ſtimuliſque negantem*
*Magnus agens incerta fugæ veſtigia turbat,*
*Implicitáſque errore vias. pauet ille fragorem*
*Motorum ventis nemorum: comitumque ſuorum*
*Qui poſt terga venit, trepidum laterique timentem*
*Exanimat.*

Quid ais, Annæe? hic eſt ille tuus, quem paullò antè in ipſo nimbo * καὶ κλυδῶνι δεινῆς συμφορᾶς alterum Herculem fingis aut Catonem? Recognoſce tua ipſius verba lib. VII. exitu:

* *ac tempeſtate horrendæ calamitatis.*

*Non gemitus, non fletus erat, ſaluaque verendus*
*Maieſtate dolor: qualem te Magne decebat*
*Romanis præſtare malis. non impare vultu*
*Aſpicis Æmathiam. nec te videre ſuperbum*
*Proſpera bellorum, nec fractum aduerſa videbunt.*

Hìc ego Lucanum agnoſco ſuum & vigilem; cùm illa verò ſcripſit, ſomno dediſſe operam puto.

## CAP. VI.

### *Liuio lux & ſanitas.*

DE Fabio Maximo Liuius, lib. XXII.

*Ad aures quoque, militum dicta ferocia voluebantur: ac ſi*

*militaris*

*militaris suffragij res esset, haut dubiè ferebant, Minutium Fabio duci prælaturos. Fabius pariter in suos haut minùs quàm in hostes intẽtus, priùs ab aliis inuictum animum præstans, quamquam probè scit, non in castris modò suis, sed etiam Romæ suam cunctationem infamem esse, obstinatus tamen eodem consiliorum tenore æstatis reliquum extraxit.*

Supinum autem illud nimis & natans, *ab aliis inuictum animum præstans.* A quibus enim aliis? Itaq; Germanâ simplicitate Glareanus: *Vt ingenuè dicam, quid hoc, ab aliis, referat, haud equidem intellego.* Nec ego certè, &, vt anus ad armillum, ad correctionem decurro ac rescribo, *priùs à fabulis inuictum.* Sententia quidem ista: spreuisse eum rumores, & quod ipse Fabius Æmilio præcipit, *aduersus famam rumorésque hominum firmum stetisse.* Monemus etiam, alibi esse: *inuictum animum præstat. Quamquam enim probè scit.*

## Cap. VII.

### *Taxatus Cæsaris locus & tentatus.*

INconsiderata & supina mihi visa isthæc scriptio de expugnatione castrorum Octauij III. Belli ciuilis:

*Ipsi* (Salonenses) *manu factâ, cum iis quos nuper manumiserant, in proxima Octauij castra irruperunt. his expugnatis, eodem impetu altera sunt adorti, inde tertia & quarta, & deinceps reliqua: omnibúsque eos castris expulerunt.*

Ait, *deinceps reliqua.* Quæ, malùm, reliqua? perinde quasi terna etiam aut quaterna ampliùs expugnata. Atqui anteà scriptum: *Octauius quinis castris opidum circumdedit.* Si quina tantùm, & quarta iam expugnata, quæ, sodes, hæc *reliqua*? Hæret hæc res nisi fortè scribimus, *Octauius quindenis castris.* id est, castellis & propugnaculis. Præter hoc nihil exsculpo: quod si non optimum est, melius tamen quàm quod deterrimum.

## CAP. VIII.

### *De simpulo siue simpuuio. Scholiastes Iuuenalis & Varro correcti.*

ROmani cùm aliarum rerum antiquarum, tum rituum sacrorum retinentissimi fuerunt, &, quod opidò mirum, etiam in maximis opibus & inter spolia orbis terrarum fictilibus ad sacrificia vasis vsi sunt. Fuit inter ea *simpulum* siue *simpuuium*; vt quidam appellarunt. Varro lib. IV. *In sacrificiis remansit Guttum & Simpulum.* Plinius XXXV. cap. XII. *In sacris quidem, etiam inter has opes, non murrhinis crystallinísve, sed fictilibus prolibatur simpulis.* Apuleius in Apolog. *Eadem paupertas populo Rom. imperium à primordio fundauit: proque eo in hodiernum Diis immortalibus simpulo & catino fictili sacrificant.* Intellegit hæc ipsa Valerius lib. IV. cap. V. *Per æternos Vestæ ignes, fictilibus etiamnum vasis contentos, iuro.* Et Dionysius lib. II. vbi Romuli instituta frugi dilaudans, ea (in sacris quidem) mansisse ad suum æuum scribit: Καὶ σπονδὰς εἶδον, inquit, ἐγκεχεαμένας οὐκ ἐν ἀργυρέοις καὶ χρυσοῖς ἄγγεσιν, ἀλλ' ἐν ὀστρακίναις κυλίσκαις καὶ πρόχοις: *Et libationes vidi infusas non argenteis & aureis poculis, sed fictilibus culignis & simpulis.* Nam πρόχοις ibi sic explicem; à profundendo scilicet, & quòd vsus eorum in libando. Festus: *Simpulum vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur.* Cum cyatho comparat: atque ita Glossæ; *Simpulum*, Κύαθος. Scholiastes Iuuenalis in Sat. VI. *Simpuuium vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices lauare solebant.* Ridiculum de lotione: corrigo, *luare* siue *libare*, & paullò antè, *aptum, quo*, præpositiunculâ deletâ. Quemadmodum & Varro apud Nonium corrigendus: *Non vides ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, deripere ad hominum fana, & tamen tum illi ipsi Libero simpuuio vinitari.* Lego, *simpuuio luitari* seu *libitari*, compari erroris caussâ. Quod etiam præit, *deripere*, velim esse, *dirigere*: id est, ire, tendere. Festus: *Dirigere apud Plautum inuenitur pro discedere.* Sed enim in his postremis exemplis *simpuuium*, non *simpulum* scribitur, & vtrique scripturæ assertores. huic posteriori etiam Cicero apud Nonium: *Oratio exstat Lælij, quam omnes*

*omnes habemus in manibus, quàm ſimpuuia Pontificum Diis immortalibus grata ſint, Samiæque, vt is ſcribit, capedines.* Et Iuuenalis Sat. VI.

*Simpuuium ridere Numæ.* ———

vbi & Verſus *ſimpulum* reſpuit, niſi quis vellet *ſimpullum.* In Arnobio *ſympinia* leges, quaſi ἀπὸ τῦ συμπίνειν: *Brias, pateras, ſympinia.* Sed neſcio, an verè; neque Hadriano Iunio, quamuis viro longè doctiſſimo, ſecundas agere poſſum, cùm lectionem hanc annixè tuetur, & Lazaro Baïfio nimis inclementer dicit, quòd hîc ei  Lib. VII. aduerſus gentes.

——— * θυμὸς ἐνὶ ςήθεσιν ἄπις۞,  —* intredula pectore mens eſt.

neque id ipſum ab aliis antè dictum aſſentiat. *Simpulum* certè Latinam, ſecundùm Varronem, habet originem. à ſumendo nimirum, quòd vinum eo *ſumebant*, id eſt bibebant, *minutatim.* Et optimis libris auctoribus tam *ſimpulum* quàm *ſimpuuium* abſque litterâ Græcanicâ, ſecùs atque eruditiſſimus ille vir cenſebat, ſcribendum eſt. Plura equidem adferrem, niſi alij occupaſſent, ſcriptumque in animo meo Sophocleum illud eſſet,  Lib. IV. de L L.

* Τὰ μὲν περιοσεύοντα τῶν λόγων ἄπε.  * Dictû ſuperuacaneis abſiſtito.

Ex his autem, quæ adduxi, ſatis conſtat ſacrorum proprium eſſe *ſimpulum*, & Pontificibus attribui, qui creberrimè eo vſi. Quare etiam inter inſignia eius ſacerdotij numi priſci ponunt.

## CAP. IX.

### *Duûm Liuij locorum correctio.*

OBſcurus, imò vitioſus eſt locus in calumnioſâ oratione Tribuni Bæbij apud Liuium lib. XXII.

*Abhorrere igitur interregnum eos. Conſulatum vnum certè plebis Romanæ eſſe: populum liberiùs habiturum ac daturum ei, qui magis vincere quàm diu imperare malit.*

Si meo fiet modo, furcillis primùm eiicietur τὸ *abhorrere*, & vacuam in ſedem atque ſuam reducetur quod in membranis eſt, *habere*: deinde ex ingenio diſtractis vocibus malè iunctis ſcribemus, *liberum ius habiturum.* Dicit Tribunus, Patres omnibus artibus rem ad interregnum duxiſſe, vt in eorum manu comitia eſſent: nullâ tamen arte efficere poſſe, quin alter Conſulum ſit

 è plebe.

è plebe. populum igitur *liberum ius habiturum*, & illum saltem talem facturum, qui potiùs publica commoda quàm sua ipsius spectet. Saxonius quidem aliter, &, *liberiùs habiturum*, Hellenismum esse ait: sed illud

--- * mihi visum rectius esse.

——— * ἐμῷ θυμῷ δοκεῖ εἶναι ἄρειον.

## CAP. X.

### *Petronius correctus & illustratus.*

IN Petronij Satyrico Carmen est sublime, sonorum, quo caussas refert ciuilis Cæsariani belli, atque inter eas auaritiam & luxum. Ibi hæc:

*Nec satiatus erat. grauidis freta pulsa carinis*
*Jam peragrabantur: si quis sinus abditus vltrà,*
*Si qua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum,*
*Hostis erat.*

Grauidas carinas haut satis probo; & puto germanum esse, *Graiis freta pulsa carinis.* Nempe Pontus & loca, per quæ Iäson cum suis ad aureum vellus. Quod sequitur in oratione Cæsaris,

*Sanguine Germano sexagintaque triumphis*
*Esse nocens cœpi. quamquam quos gloria terret,*
*Aut qui sunt qui bella volunt? mercedibus emptæ*
*Ac viles operæ, quorum est mea Roma nouerca.*

id sumptum est à Scipionis voce liberâ, qui in mediâ concione: *Taceant*, inquit, *quibus Jtalia nouerca est.* quasi diceret libertinos aut exteros & nec sanguine Romanos esse.

## CAP. XI.

### *Liuij locus emaculatus.*

NOn satis cum fide retulerunt Patribus Decemuiri, si fida hæc Liuiana, lib. XXII.

*Decemuiri libros Sibyllinos adire iubentur. qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod eius belli caussâ votum Marti foret, id non ritè factum, de integro atque amplius faciendum esse: & Ioui*

*& Ioui ludos magnos & ædes Veneri Erycinæ ac Menti vouendas esse.*

Nam vbi, obsecro, Marti votum aliquod factum? Euolue priora omnia, nō reperies: etsi Liuius in eiusmodi rebus nimis quàm curiosus. Ego reperio votum anno antè factum, ex libris Sibyllinis, *à C. Atilio Serrano Prætore, si in decem annos respublica eodem stetisset statu.* Narrat Liuius libro superiore extremo. Nec ambigo quin huc iam aspectum. Id autem votum non Marti propriè, sed Ioui aliisque diis factum. Imò statim ecce varij dij nominantur, quibus votum id instauratum, Martis nullâ mentione. Credo igitur rectè hìc emendatum iri: *votum antè foret.* errore illo nato ex adhæsione litterulæ, suppositoque *Marte*, quia videbant Martem in manibus, &

*Omnia iam belli trepido concussa tumultu.*

## CAP. XII.

### *De veste militari: publicitus ea data. Sagum, lacerna, Pænula, Armilausa. De colore vestium militarium disceptatum.*

DE veste domesticâ & vrbanâ multi multa; de militari, nisi quà Imperatores & duces spectat, * ὡς ἐγὼ μνήμης ἔχω, vix quisquam, aut cursim & saltuatim. Quare facturum operæ pretium me puto, si quæ circa ea mihi notata sunt, vno velut missu hoc capite exhibeo. Hæc igitur missa donatáque olim è publico, vt clarè Polybius: & ferè (pluries in Liuio videmus) *Tunicæ* ac *Togæ.* atque illæ quidem grandiore semper numero. vt in Liuio, lib. XXIX. *Vestimenta exercitui deerant: ea quoque haud segniter curata res. mille ducentæ Togæ breui spatio, duodecim millia Tunicarum missa.* & alibi. Quæ caussa disparitatis? quòd Togæ honestioribus tantùm missæ, vt equitibus, Centurionibus, ac talibus; gregarij tunicâ contenti fuerunt, & super eam fortasse sago. Sagum quidem militaris vestis. atque ita Polyænus de Scipione ad Numantiam: Ἐκέλευσε ἱματίῳ χρῆσθαι σισύρᾳ Γαλατικῇ, καὶ πρῶτος αὐτὸς ἐνεπορπήσατο σισύραν μελαίναν: *Iussit eos vti veste sago Gallicano, & ipse*

* *qua mea memoria est.*

*ipse primus nigrum sagum fibulâ sibi induit & adstrinxit.* Inde toties lectum: *Ad saga ire*, in rebus turbidis: quasi omnes tunc milites pro re natâ. Lampridius in Alexandro: *Depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes non ad castra, sed ad diuersoria iuerunt.* quasi non vltrà nempe milites. In Italiâ autem, & Vrbe imprimis, aliter se res habebat, quàm in prouinciis & castris. Nec enim decere videbatur ille ferox habitus dominam terram & Vrbem. Capitolinus in Antonio: *Per Brundisium veniens in Italiam, togam & ipse sumpsit, & milites togatos esse iussit: nec vnquam sagati fuerunt sub eo milites.* Eâ de caussâ Excubiæ Palatinæ togatæ, vt in Taciti I. Histor. *Nec vna cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet.* Legimus item *Lacernas* militum & *Penulas.* In Propertio:

*Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.*

In Ouidio:

*Mittenda est domino, nunc nunc properate puellæ,*
*Quamprimum nostrâ facta lacerna manu.*

*Domino*, marito militanti. gratiores nempe hæ vestes, â muliebri vel amatâ aliquâ manu. In Scholiaste Persij: *Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur.* Benè, olim. postea enim Vrbani passim Lacernati esse cœpere; quidam etiam super Togas. De Penulis autem, Suetonius Neronis cap. XLIX. *Irrumpenti Centurioni & penulâ ad vulnus appositâ.* Seneca De Benef. III. cap. XXVIII. *Quò te penulati isti in militum & quidem non vulgarem cultum subornati?* Tertullianus de milite suo: *Ibidem grauissimas penulas posuit, reuelari auspicatus.* Per penulatos autem istos Seneca seruos ad lecticam intellegit, ac militarem in modum vestitos significat, colore etiam rufo: de quo Martialis in Lemmate, Canusinæ rufæ:

*Roma magis fuscis vestitur, Gallia rubris,*
*Et placet hic pueris militibúsque color.*

Trebellius in Claudio: *Tunicas russas militares.* Tertullianus huc aspexit, in eodem milite: *Et nunc sanguine suo russatus, spe calceatus.* quasi iam non veste & penulâ, sed sanguine russus. Si Isidoro credimus, veteres etiam hoc colore vsi. *Russatâ sub Consulibus Romani vsi sunt milites, vnde etiam Russati vocabantur.* Idem videtur ex fragmento Varronis apud Nonium in *Torques*: *Tela*

dextrâ

*dextrâ vibrant, russati emicant.* Eſt omnino de militibus, legendúmque, *& micant.* Notum quid ſit *minari* & *micare telis.* Sed dicet aliquis: quid in Imperatore & Lictoribus eximium, ſi omnium veſtes ſimillimè tinctæ? In procliui eſt ſoluere hunc nodum, propter diſcrimen inter ruſſum & coccineum colorem, qui proprius Imperatoris erat, & vnde facilè internoſcebatur. Pertinet huc Cæſarianum illud Commentario VII. *Accelerat Cæſar, vt prælio interſit. eius aduentu ex colore veſtis cognito.* Non enim fidus ſatis auctor Horatij Scholiaſtes ita ſcribens: *Romani milites in bellum euntes, coccineis ſagis vtebantur, vt ne quis vulneratus terrorem incuteret ſociis.* vbi pro ruſſo coccineum vſurpauit. Sed an hoc tantùm de velitibus, quos chlamydulâ tectos fuiſſe ſcimus? in obſcuro res ſita eſt. Græci certè, & maximè Lacedæmonij τῇ φοινικίδι militiæ ſunt vſi. Ariſtoteles apud Suidam: Ἀριστοτέλης δέ φησι χρῆσθαι τοὺς Λακεδαιμονίους φοινικίδι πρὸς τοὺς πολέμους. τοῦτο μὲν, ὅτι τὸ τῆς χρόας ἀνδρικόν· τοῦτο δὲ, ὅτι τὸ τοῦ χρώματος αἱματῶδες τὴν τοῦ αἵματος ῥύσεως ἐθίζει καταφρονεῖν. *Ariſtoteles ait Lacedæmonios puniceá veſte ad bella vti, tum quia color ille virilis, tum quia ſanguineum illud in tincturâ ſanguinis ipſius fluxum aſſuefacit contemnere.* Plutarchus & aliis Græcis tunicas puniceas attribuere videtur, cùm de Philopœmone ſcribit, eum milites ſuos adornatos & inſtructos voluiſſe Græcis oſtendere, & in theatrum duxiſſe ἐν ταῖς στρατιωτικαῖς χλαμύσι καὶ τοῖς φοινικοῖς ὑποδύταις *in ſagulis militaribus & puniceis tunicis.* Idémque de Macedonibus, in Æmylio: viſos eos ἀστράπτοντας ἐπὶ χρυσοῖς ὅπλοις, καὶ νεουργοῖς φοινικίσιν: *micantes in aureis armis & veſtibus nouis puniceis.* Silius hoc & Carthaginienſibus tribuit:

*——— Rubræ velamine veſtis*
*Ars erat in pugnâ viſum occuluiſſe cruorem.*

Has tales *Armilauſas* videntur poſteri dixiſſe. Paulinus Nolanus de quodam improbiùs veſtito, epiſt. XIII. *Minimè monachali caligâ & veſte, cùm præterea facie non minùs quàm Armilauſâ ruberet.* Iterùm epiſt. VII. *Sibi ergo ille habeat Armilauſam ſuam & ſuas caligas.* Scholium vetus in Iuuenalis illud, *viridem thoraca: id eſt, Armilauſam praſinam, vt ſimiæ.* Emendo ἐν παρέργῳ, *aut ſimile.* Sed ille alterius coloris etiam facit. Iſidorus eo præterito de nomine & formâ ſic ait: *Armilauſa vulgò vocata, quòd antè & retrò diuiſa atque aperta eſt, in armos tantùm clauſa, quaſi Armiclauſa.* Iam verò

H *Caligam,*

*Caligam*, quod ait Dio,* στρατιωτικὸν ὑπόδημα fuisse sciunt omnes qui non prorsus * ἀμαθεῖς καὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἄγνοι. De *Calceis* autem *clauatis* nihil dicam, ne actam rem agam. Pertractauit enim eam, vt ipse mihi confirmauit Iosephus Castalio IC[tus] morúmque & litterarum veterum benè doctus. Sed & formam, quò vulgetur, è fornice Constantini diligenter exprimi curauit. Et oculis pænè ingerunt Iosephus ἁλώσεως lib. v i i. cap. i i i. & Imperator Leo, qui & vsum addit clauorum: *Calcei peditum fastigia antè acuminata ne habeant. Necessum verò est paucis quibusdam clauis firmari calceos, quos carphia appellant. Ad varios enim vsus id vtile est; in primis ad itinera facienda.*

* militare calceamentum.
* indocti rerumque Romanarum expertes.

## Cap. XIII.

### *Occultior significatio vocis commeatus, & exempla.*

*Commeatum* veteres vsurparunt pro plurium simul nauium appulsu, quemadmodum hodie Galli, *la flotte*. Monuerunt id antè viri docti; quod reliquum est, exemplorum copiam ego dabo. Cæsar lib. v. *Duobus commeatibus exercitum reportare constituit*. Hirtius de bello Africo: *Rabirium mittit ad accersendum secundum commeatum.* Suet. in Nerone: *Alexandrini qui de nouo commeatu Neapolim confluxerant.* Apul. lib. x i. Metam. *Ecce litteræ de noui commeatus prosperâ nauigatione.* Symmachus lib. v i i. epist. L X V I I I. *Nobis tardior Africanarum nauium commeatus incutit curas, & sterilitas conditorum.* Et rursus, lib. x. ep. I. *Edita ratio est vectigalium, quæ Hispaniensis atque Alexandrinus inuehere debuit commeatus.* Pro eo Martialis, Ausonius & Sidonius Græcanicâ voce sunt vsi, *cataplus*: de quâ solens suo more, id est perquàm eruditè, vir plenus litterarum, & qui verè * πρὸς ἄκρον παιδείας venisse dici potest, Isaacus Casaubonus, in Animaduersionibus Suetonianis. Simili notione cõmeatus dicitur, cùm manus iuncta terrâ iter facit, quod Turcæ appellant *Carauannam.* Apul. lib. v i i i. *Vt luce clarâ, & die iam prouecto, & sole florido, vitantes vndique latentes insidias, cùm & ipso lumine dirarum bestiarum repigratur impetus, non laciniatim disperso, sed cuneatim stipato commeatu difficultates illas transabiremus.*

* ad culmen eruditionis.

Cap.

## CAP. XIV.

### *Soleis feminarum inserti claui, gemmæ. Calcei purpurei, interpuncti, auratis prælati. Crepidæ aratæ. Calcei pedum quasi vincla.*

DE calceamentis militum quia suprà mentio leuiter mihi facta, facilè animum induxi de paganorum etiam dicere; sed pauca, sed aliis, vt opinor, indicta. Nam de calceis lunatis, lineis, albis, coccineis, auratis multi meminerunt. Sed & de baxeis, peronibus, mulleis, vdonibus, soccis, cothurnis. Præteritis igitur his talibus, clauos dico calceis nō modò militum, sed etiam mulierum, insertos. Patet è Clemente Alexandrino Pædag. lib. II. cap. XI. περὶ ὑποδέσεως: Παραπλήσιαι δὲ καὶ περὶ τὰς ὑποδέσεις εἰσὶν αἱ ἀλαζόνες, ἣ πολλὴν βλακείαν κἀνταῦθα ἐπιδεικνύμεναι· αἰσχρὰ γοῦν ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα, ἐφ' οἷς ἔστι τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἥλους ἑλικοειδῶς τοῖς καττύμασιν ἐγκαταπείρειν ἀξιοῦσιν. *Similiter autem in calceamentis superbæ arrogantésque feminæ magnam ostendunt mollitiem. Turpia quippe sunt illa sandalia cum aureis ornamentis. Sed & clauos circumcirca soleis infigere æquum censent.* & an non ex auro? quales aliquando vel gregariis militibus. Iustinus lib. XXXVIII. de exercitu Syriæ regis Antiochi, non Magni illius, cui bellum cum Romanis, sed è posteris eius: *Argenti certè auriq; tantum, vt etiam gregarij milites auro caligas figerēt, proculcarentq; materiam, cuius amore populi ferro dimicant.* Caligas enim inter calceamenta fuisse, confessa res ac manifesta: nimísque mirum quòd vir doctus ita braccas appellatas censet. Non autem hîc stetit luxus; itum est vlteriùs, & gemmæ quoque calcatæ. Curtius de Sophite lib. IX. *Vestis erat auro purpuráque distincta, quæ etiam crura velabat; aureis soleis inseruerat gemmas.* Flau. Vopiscus de Carino: *Habuit gemmas in calceis.* Sed non magnum hoc in Principibus. Plinium audiamus lib. IX. cap. XXXV. *Affectantque iam & pauperes, lictorem feminæ in publico vnionem esse dictitantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt. Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent, satis*

*est.* Et Spartianum in Elagabalo: *Semiamirica facta sunt S C^ta ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret: quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ sellá veheretur, & vtrùm pelliceá, an osseá, an eboratá, an argentatá, & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberet.* Disertè etiam dicit Clemens Alexandrinus dicto capite & libro: Χαίρειν οὖν ἐατέον τὰς ἐπιχρύσους καὶ διαλίθους τῶν σανδαλίων ματαιοτεχνίας. *Vale ergo dicendum est aureorum & gemmeorum sandaliorum artificiis.* Et Tertullianus de Orientalibus: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum ceterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quòd nec ad ostensionem ferè habentur. Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. denique iam gemmatum habent, quod gemmatum esse non debet, si non comparet: aut ideò comparet, vt neglectum quoque ostendatur.* Vnde minùs mirandum videri debet quod Herodotus memoriæ prodidit, Ægypti reginis magnæ alicuius vrbis redditus pro calceario assignatos. Notabile etiam quòd calceos purpureos pluris fecerunt quàm auratos, & supra omnes, interpunctos: ob artificium, vt opinor, atque manupretium. Epictetus in Enchiridio: Μέτρον κτήσεως τὸ σῶμα ἑκάστῳ, ὡς ὁ πὸυς ὑποδήματος. ἂν μὲν οὖν ἐπὶ τούτου στῇς, φυλάξεις τὸ μέτρον· ἐὰν δὲ ὑπερβῇς, ὡς κατὰ κρημνοῦ λοιπὸν ἀνάγκη φέρεσθαι. καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος, ἐὰν ὑπὲρ τὸν πόδα ὑπερβῇς, γίνεται κατάχρυσον ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν. τοῦ γὰρ ἅπαξ ὑπὲρ τὸ μέτρον ὅρος οὐδεὶς ἐστιν. *Modus pecuniæ corpus est vnicuique, vt calcei pes. Si igitur in eo institeris, modum seruabis; sin præterieris, iam veluti per præceps te ferri necesse erit. vt & in calceo: si vltra pedem progressus fueris, fit auratus calceus, deinde purpureus, deinde interpunctus. Eius enim quod semel transierit modum, nullus est terminus.* Neque verò tacendum de crepidis æratis, de quibus apud Tertullianum: *Si philosophus in purpurá, cur non & in baxeá Tyriá calceare? nisi aurum minimè Græcatos decet. atquin alius & sericatus & crepidam æratus incessit: dignè quidem, vt bacchantibus indumētis aliquid subtinniret, cymbalo incessit.* Mirus lusus & luxus in re calceamentorum, quæ Musonio philosopho memoratissimo pedum quasi vincla sunt & impedimenta. Verba ipsius excerpsimus è Stobæo: Καὶ τὸ γε ὑποδε-

De habitu muliebri.

De Pallio.

ὑποδεδέσθαι τὸ ἀνυποδετεῖν τοῖς δυναμένοις κρεῖττον. κινδυνεύει γὰρ τὸ μὲν ὑποδεδέσθαι, τοῦ δεδέσθαι ἐγγὺς εἶναι. ἡ δ' ἀνυποδησία πολλὴν ἀλυπίαν τινὰ καὶ εὐκολίαν παρέχει τοῖς ποσὶν, ὅταν ἠσκημένοι ὦσιν. ὅθεν καὶ τοὺς ἡμεροδρόμους ὁρᾶν ἔξεστιν, οὐ χρωμένους ὑποδήμασιν ἐν τῇ ὁδῷ· καὶ τῶν ἀθλητῶν τοὺς δρομεῖς οὐκ ἂν δυναμένους σώζειν τὸ τάχος εἰ δέοι τρέχειν αὐτοὺς ἐν ὑποδήμασιν. *Ac nudis pedibus incedere melius est, quàm calceatum. Propemodum enim dixerim calceatum esse perinde ac vinctum & constrictum esse. sine calceis autem valde expediti & agiles sunt pedes, præsertim si adsit vsus. Vnde tabellarios videre est non vti calceamentis in itineribus; atque ex athletis cursores celeritatem eamdem non seruare, si currendum est calceatis.* Dignum hîc certè notatione de tabellariis, & quod apud Suetonium est de classiariis, excalceatos eos cursitasse, cùm ab Hostiâ & Puteolis Romam pedibus per vices commearent. & fortè etiam, quod pænè prætericram, de calceis virginum aliis atque mulierum. Innuit sanè & indicat Tertullianus de nouis nuptis ita scribens: *Iam & consilium formæ à speculo petunt, & faciem morosiorem lauacro macerant: forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus iactant, calceum stipant multiformem, plus instrumenti ad balneas deferunt. Quid singula persequar? Solemnem manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem.* Sed de his iam satis est: *Quod restat, restant alij, qui faciant palàm.* Lib. De veland. virginibus.

## CAP. XV.

### *De numero copiarum Rom. ad Cannas. Liuius ex Silio emendatus.*

VAriatum ab antiquis scriptoribus circa numerum armatorum, qui in castris Romanis, cùm pugnatum ad Cannas. Liuius ad eos inclinat, qui septem & octoginta millia & ducentos fuisse scripserunt. & ab hac ferè parte Plutarchus, nisi quòd auctiore paullùm numero ab eo ponuntur μυριάδες ἐννέα δισχιλίων ἀνδρῶν δέουσαι· *duo denonaginta virorum millia.* Polybius magis distinctè, Πεζῶν εἰς ὀκτὼ μυριάδας, ἱππεῖς δὲ μικρῷ πλείους τῶν ἑξακισχιλίων, recenset. Appianus numerum imminuit: & facit πεζοὺς ἑπτακισμυρίους, ἱππέας δ' ἑξακισχιλίους, *peditum septuaginta millia, equitum sex millia.* Quod mirum, quoniam ille idem paullò antè lectas

vult nouas quattuor legiones. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι, inquit, κατέλεγον ἄλλα στρατόπεδα τέσσαρα. Si ita eſt, profectò octo legionibus rem geſſerunt: ergo pluribus quàm millibus ſeptuaginta. Præter Romanas Italáſque copias, auxilia etiam regis Hieronis fuerunt, Liuio quidem ad mille. Paullò infrà: *Itaq; miſiſſe mille ſagittariorum ac funditorum aptam manum aduerſus Baleares ac Mauros.* Sed Silius mihi pænè perſuadet, legendum hîc, III. *mille*, quia nimis exiguæ & non pro regiâ munificentiâ copiolæ illæ fuerint, & diſertè ille ſic tradit:

*Addiderat ter mille viros, in Marte ſagittæ*
*Expertos, fidus Siculâ regnator ab Ætnâ.*

Mendum autem eſſe poteſt in Liuio; non poteſt in Silij verſu.

## CAP. XVI.

### *Veteres haut ſemper ad legem Grammaticorum ſcripſiſſe; eiúſq; rei exempla.*

VErè profectò Fabius, aliud eſſe Latinè, aliud Grammaticè loqui. Nam ſunt in optimis auctoribus, quæ vtique non ferant Grammaticorum leges. Tale in Agellio, lib. I. cap. XIV. *Multis magnisque rebus, quæ bene ac beniuolè feciſſet. Quas*, oportuit, inquiet alius: ille verò negat, & vſurpat iterùm lib. IV. cap. XVIII. *Quàm fuerit altus animo atque magnificus, & quâ ſui conſcientiâ nixus, pluribus rebus quæ dixerit quæque fecerit, declaratum eſt.* Etiam ille

*Romanâ primus Criſpus in hiſtoriâ:*

*Abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt.* Ad rem ſcilicet ipſam, non ad voculam attendere nos voluerunt. Atque hoc σολοικοφανὲς Generis eſt: ecce Caſuum & Inflexionum. Agellius lib. I. cap. XXV. *Idcirco ex iis, quibus dixi, vocibus.* Lib. II. cap. XXVI. *Sed in iis tamen coloribus, quibus modò dixiſti.* Nónne ex litteratoriâ lege, *quas* & *quos* vtrobiq; oportuit? At veteres, & præſertim Comici, pleni talium. Etiam in Hiſtoricis reperire eſt. In Hirtio, De bello Africo: *Dum hæc ita fierent, rex Iuba cognitis Cæſaris difficultatibus, non eſt viſum ſpatium conualeſcendi.* Eiuſmodi

quoque

quoque illud IC[ti] L. XXVII. ad L. Aquill. *Si quis seruum conductum ad regendum mulum, commendauerit ei mulum: ille ad pollicem eum alligauerit.* Denique multa talia, quæ si autumem omnia, nimis longus sermo sit. & hæc satis, siue ad refellendos quosdam seruiliter Grammaticos, siue ad reprimendos alios audacter nimis Criticos, quos in memoriâ semper habere expediat, * *ἀκίνητα μὴ κινεῖν.* *non mouenda ne moueant.*

## CAP. XVII.

### *Agellij duo fœdissima stigmata sublata.*

AGellius cautè, si quis alius, meditatéque scripsit. Secùs tamen videatur è lib. I. cap. VII. vbi disputat de verbis istis Indefiniti modi, *Dicturum, Facturum.*

> *Qui modus*, inquit, *neque in numeros, neque in personas, neque in genera, neque in tempora distrahitur* (vetus editio, *distribuitur*) *sed omnia istæc vnâ eadémque declinatione complectitur.*

Nam quòd scribit, verba eiuscemodi non distrahi in numeros, in personas, in genera, in tempora, non est vacuum noxiis. Priora quidem vera sunt; de temporibus verò cur addit? Profectò palàm * *ἔξω τῆς ἀληθείας* est, omnia tempora vnâ eadémque declinatione his verbis comprehendi. *falsum. Vnicam tantùm significationem habent * *τοῦ μέλλοντος*; in præsens aut præteritum non torquentur. *futuri Aliter autem est in numeris, personis, generibus, ad quæ omnia se aptant. Rectissimè igitur tria hæc verba, *neque in tempora*, à libris priscæ editionis absunt, & proculdubiò glossemata sunt & additicia. Barbaries & stribligo videtur cap. I. lib. XV.

> *Magni*, inquit, *reditus vrbanorum prædiorum, sed pericula sunt longè maxima. si quid autem possit remedij fore, vt ne tam adsiduè domus Romæ arderent, venum herclè dedissem res rusticas, & vrbicas emissem.*

in eâ videlicet lexi: *si quid possit remedij fore.* Emendo, *remedij ferri.*

# CAP. XVIII.

## *Vlpianus explicatus de Sparsionibus equorum. Quid Spartor?*

QVod apud Vlpianum est, De his qui notantur infamiâ l. IV. *neque agitatores, nec qui aquam equis spargunt*, ignominiosos haberi, id ego non de vulgari aliquâ sparsione, aut ad recreandos equos, accipiendum arbitror, etsi Alciatum iuris & humanitatis consultissimum in hac sententiâ fuisse video; sed de sollemni quâdam & cum religione, imò superstitione, coniunctâ. Nam fuisse mos videtur, vt, quoniam Circenses sacri ludi erant, honorique Deorum dicati, equi certaturi priùs lustrarentur, & aquâ è certo loco petitâ spargerentur. Fidem huic rei peto è Charisio, lib. I. *Ad equas, an ad aquas vocari, dici debeat, quæsitum est. Qui ad aquas dicunt, enarrant quòd ex luco Camænarum aqua religiosa afferri solebat, purificandi caussâ. Sed meliùs Ad equas, quòd olim greges equorum in Circum inducebantur, ibique per populum cursu æquabantur.* Qui etsi in alteram opinionem abit, tamen morem clarè satis ingerit, quem nos spectamus. Fallor valde, aut hunc ritum in mente habuit, & profanam hanc aquam aliâ aquâ damnauit Hilario vir sanctus: de quo * D. Hieronymus narrat, cùm Italici cuiusdam, qui Christianus erat, equi Circenses dæmoniacis imprecationibus tardarentur in cursu, eum accessisse Hilarionem. qui cùm aliquamdiu recusasset rei tam ineptæ operam dare, tandem, inquit, *rogatus à fratribus qui aderant, scyphum fictilem, quo bibere consueuerat, iussit aquâ impleri, eique tradi. Quem cùm accepisset Italicus, & stabulum, & equos, & aurigam suum, rhedam, carcerumque repagula aspersit.* eóque facto plenè victoriam de aduersario est consecutus. In lapide veteri inter officia Circensibus deputata etiam inuenio SPARTOREM. ánne pro SPARSORE? an potiùs à Sparto id nomen ductum, & ad Circi metarúmque dealbationem munus pertinuit? Nam in Glossis ita scriptum, *Spartum*, λάχαλα ἐν σταδίοις.

VI. Pareg. cap. III.

* In vitâ Hilarionis.

CAP.

## CAP. XIX.

### *Percutiendi verbum rariore significatu.*

PErcutiendi verbum vsurpatum pro illo occidendi. Suetonius in Caligulâ, cap. III. *Hostem cominus sæpè percussit.* Capitolinus in Antonino Pio: *Nullus sub eo Senator percussus.* Vopiscus in Auidio Cassio: *Percutite me, si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite.* Idem in Numeriano: *Aprum Præfectum Pr. ostentans percussit.* Victor in Tarquinio Prisco: *Filium tredecim annorum, quòd in prælio hostem percussisset, prætextâ & bullâ donauit.* His omnibus locis (credo & aliis) palàm est *Percutere* τὸ φονεύειν valere. Quid mirum? optimo etiam Latinitatis æuo, οἱ φονεῖς, *Percussores.*

## CAP. XX.

### *De tunicâ interiore disceptatum. Ouidius, Plutarchus, Agellius explicati.*

NOn sum profectò * φιλόψογος, nec, vt quidam, animi morbo vel petulantiâ, sed studio veritatis, alienos interdũ errores patefacere & proferre cogor. Scribit Lazarus Baïfius, quod Lacænis vitio dabatur, & vnde * φαινομηρίδες per iocum dictæ fuerunt, id ipsum à Romanis etiam virginibus factitatum: &, vt sine circuitione loquar, tam his quàm illis in vsu fuisse tunicas vtrimque laterum inconsutas & apertas, vt inter eundum & in omni celeriore motu nudum femur appareret. Dij vostram fidem! vnde hoc in mẽtem tanto viro, quod nemo fando audiuit,

-- *neque vsquam fictum neque pictum neque scriptum in poëmatis?*

Nimis certè mirum esset, neminem vnum eorum, quorum Satyras, Amores & Epigrammata legimus, tam bellam lasciuiendi iocandique occasionem arripuisse: sed & omnes seueros illos Censores, qui vitia carpentes ac malos vrbis mores, alia quæ in vestitu peccarentur, perquàm graphicè descripserunt, hîc om-

* reprehendedi amãs.

* quæ femora ostẽdant

nino mutos fuisse & elingues. Nam quòd Ouidium citat, vereor ne auctoritatem hic defugiat. Versus eius, quibus pugnat, hi sunt ex lib. I. De arte:

*Pallia si nimiùm terræ demissa iacebunt,*
*Collige, & immundâ sedulus effer humo.*
*Protinus officij pretium, patiente puellâ,*
*Contingent oculis crura videnda tuis.*

Hinc ita ratiocinatur: Si tunicæ vtrimque consutæ fuissent, colligendo vel attollendo pallio crura conspici non potuissent: nisi quis dixerit, leuatam vnà cum pallio tunicã, quod magis amentis fuisset quàm amantis. O plumbeum pugionem! Vsqueadeóne mirum & absonum fidei, dum officiosus iste amatorculus pallium sedulò colligit, motâ simul, vel adhærente tunicâ, puellæ pedes imásve tibias leuiter aspici? Nam de femore quî intelligi rectè possit, quod potiùs delapso pallio quàm collecto per apertam tuniculam appareret? Huc accedit, quod de cruribus Poëta dicit, quæ infra genua. Neque verò de Vestalibus hîc agitur aut Sabinis, quas in animo Baïfium habuisse credo, sed lenibus istis & in misericordiam pronis, quæ facilè ignoscant,

——— *si quid flagrantiùs actum est.*

Cùm autem auctoritate Plutarchi moueri se negat, haud æquum certè facit. Nam fidissimus & * ἀξιοπιστότατος ille scriptor discrimen hoc in vestibus inter Lacedæmonias & Romanas virgines clarè ostendit. Ipsum audiamus: Ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ περὶ τὰς παρθένους φυλακὴ κατέσταλται τῷ Νυμᾷ πρὸς τὸ θῆλυ καὶ κόσμιον. ἡ δὲ τοῦ Λυκούργου, παντάπασιν ἀναπεπταμένη καὶ θῆλυς οὖσα, τοῖς ποιηταῖς λόγον παρέσχηκε. φαινομηρίδας τε γὰρ αὐτὰς ἀποκαλοῦσιν, ὡς Ἴβυκος, καὶ ἀνδρομανεῖς λοιδοροῦσιν, ὡς Εὐριπίδης. *Præterea cura puellarum ad pudorem muliebrem & verecundiam magis à Numâ restricta est; Lycurgi soluta prorsus & aperta iocandi materiam Poëtis præbuit.* φαινομηρίδας *enim vocant eas, velut Ibycus, quòd incessu coxas retegerent, &* ἀνδρομανεῖς, *quasi virosas, vt Euripides.* Et paullò pòst de eisdem Lacænis, vt differentiam magis declaret: Τῷ γὰρ ὄντι τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν ἀνερραμμέναι κάτωθεν, ἀλλ' ἀνεπτύσσοντο καὶ συνανεγύμνουν ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. *Sanè virginum tunicæ imæ non habebant pinnas consutas, sed explicabantur, & totum incessu aperiebant femur.* Satin' hæc sunt plana ac certa? Et tamen doctissimus ille vir alia nobis omnia (si diis

* fide dignissimus


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

(si diis placet) persuadere conatur: qui cogitare certè debuerat, non semper verum veterem illum versum,

* Τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται.

* Opinio vel veritati vim facit.

neque omnes adeò fungos, vt si quis mero meridie tenebras esse dixerit, continuò credant. Tale enim hoc est, quod contra Plutarchum tam acriter defendit; qui tamen auxiliarē habet Agellium affirmantem lib. VII. c. XII. Romanos *feminis solis vestem longè latéque diffusam decorum existimasse ad vlnas cruraque aduersus oculos protegēda.* Nam si crura tegi voluere, certè etiam femur atq; adeò nullæ apud eos φαινομηρίδες. Sed quàm hoc vanum, tam certum & exploratum hasce tunicas mulierum interiores sæpè per humeros & summa brachia inconsutas paucísque clauis siue sphærulis (aureis fortè & gemmeis in beatioribus) atque interdum etiam vno tantùm, connexas fuisse: quo, cùm vellent, soluto, tunica tota ad pedes nullo negotio defluebat. Bono sanè modo præut quàm hodie, cùm interulæ non exui facilè possunt, quin obiter (bonâ veniâ dixerim) & os & nares delibent. Plurimæ sunt statuæ, quibus, si opus sit, hoc probemus: duæ sint instar omnium, altera Romæ ipsius in hortis Cæsiis, altera Deæ cuiusdam, in domo Farnesiorum.

*Iconismus duplicis statuæ tunicatæ hic inserendus.*

## CAP. XXI.

### Περιεργία & *curiositas Pauli Iouij.*

ANnibalem ægrum oculis elephanto vno, qui superfuerat, quòd altiùs ex aquâ exstaret, in Etruriâ vectum Liuius narrat. Vnum superfuisse etiam Ioannes Zonaras memoriæ prodidit in pugnâ ad Trebiam, & hîc quoque Polybius. Quare satis mirari non possum, Paulum Iouium historiæ suæ hoc velut antiquarium Emblema * inseruisse: *In valle superioris Arni quà Annibalem olim transisse ferunt: certissimo argumento, quòd ibi Ele-* Lib. XXVII.

 *phantum*

*phantum ossa ab aratoribus hac ætate reperiantur, quas bestias multo gelu Alpium correptas amiserit.* Nam si pensiore iudicio rem trutinemus, vana ac futilis hæc obseruatio; leuissimumque, vel nullum potiùs, quod ille grauissimum & firmissimum censet, argumentum. Primùm enim, quomodo illic elephantum plurium ossa, cùm superstes vnus tãtùm? Deinde quis ei dixit, eum ipsum hîc periisse, cùm vix per caliginem rationem itinerum Annibalis videamus, & adhuc incompertum inexploratumque sit, an per illam vallem transierit Annibal? Vereor sanè, ne stultiuidi illi fuerint aratores, plúsque fortassè viderint, quàm quod viderunt. Potuerunt tamen verè eruisse elephantum ossa; verùm aliorum, qui posteà in Italiâ ad ludos & spectacula. Nam bellatores illi & Annibalici non in illo trans Glauim tractu.

## CAP. XXII.

### *In Agellio glossemata quædam expuncta.*

AGellij Noctibus (quas non nisi cum Romanis rebus, vlla nox obliuionis sepeliet) lib. III. cap. XII.

*Laberius in Mimo libro primo, qui Salinator inscriptus est.*

vett. libri: *in Mimo vel primo.* Certo certius est adtextum esse à scriptore hæsitanti, *primo* scriberet, an *Mimo.* Itaque tollo & * ἐκ-σπίζω, *vel primo.*

*submoueo.

Lib. VII. cap. II. disputatio est super errore Cesellij Vindicis in Enniano versu exponendo; sed is ipse non est expers errore. Verba:

> *Hos autem versus Cesellius sic accipit, tamquam si Antiochus sic dicat: Annibal me, ne bellum geram, dehortatur. quod cùm facit, æquale cor putat habere me ei: quàm stultum esse me credit, cùm id mihi persuadere vult?*

Nam Cesellij mentem quomodo hîc vides? Obscurat eum declaratione istâ suâ Agellius, non illustrat. Puto legendum: *quod cùm facit, quale cor putat habere me, & quàm.* Patet ex ipso versu Ennij, quem Periphrasis hæc exponit. Sed & in eo quoque vitium, atque omnino scribendum:

> *Annibal audaci cùm pectore de me hortatur.*

Insi-

Inſitione & Tmeſi priſcis crebrâ.

Lib.x. cap.XXVIII.

*Tubero in Hiſtoriarum primo ſcripſit, Ser. Tullium regem P. R. cùm illas quinque claſſes Iuniorum cenſus faciendi gratiâ inſtitueret.*

An Iuniorum modò illæ claſſes? imò etiam Seniorum. Delenda ea vocula, niſi palàm imperitiæ Tuberonem arceſſis.

Lib. vlt. cap. vlt.

*Aut memoria adminiculatior, aut oratio ſolertior, aut ſermo incorruptior, aut delectatior motio, aut in ludo liberalior.*

Ponit callidè & rectè ea quæ ſunt in ipſius libris. Sed quid eſt illa *delectatior motio?* nugæ: & legendum, *delectantior in otio.* Si ſcripta noſtra, inquit, talia ſunt, vt iis effici reddiq́ue poſſit aut oratio ſolertior, aut in otio & remiſſionibus delectabilior, aut in ludo iocóque liberalior. Vide connexum ſententiæ totum.

## CAP. XXIII.

## *Diſſenſus ſcriptorum in annis imperij Titiani.*

PEr mihi mirum eſt, diſſentire & variare ſic ſcriptores in annis imperij Titiani. Nam Suetonius (cuius fidem & accuratam ſcribendi rationem ignorat nemo) *exceſſiſſe*, ſcribit, *in eâdem, quâ pater, villâ, Idibus Septembris, poſt biennium ac menſes duos diéſque* XX. *quàm ſucceſſerat patri.* Dionis compendium quoque omnia eadem: Ἦρξε δὲ δύο ἔτη καὶ μῆνας δύο, ἡμέρας τε εἴκοσιν, ὡς προείρηται. At Eutropius imperaſſe ait biennium ac menſes octo, dies XX. Aurelius Victor hinc quoque ſtat, dicítque, *biennium ac menſes ferè nouem.* Sex igitur menſes ampliùs hi, quàm Suetonius & Dio. Euſebij verò Chronicon, in nonnullis quidem exemplaribus, largiùs: *Titus regnauit annos tres & menſes duos.* In quam ſententiam it Auſonius, vbi ex profeſſo annos ætatéſque Principum recenſet:

*Ter dominante Tito cingit noua laurea Ianum.*

Mirum certè factum eſt, in tam illuſtri re & Principe tales eſſe ἀναχρονισμούς. Quòd ſi verè annotatum à Suetonio, Veſpaſianum obiiſſe *in nono Conſulatu ſuo,* VIII. *Kal. Iulij*, veriſſima ſanè eius

computatio de annis mensibúsque Titi. Quid autem caussæ, quamobrem alij seorsum ab eo sentiant; exputare non possum: [coætaneus] præsertim cùm illi fides habenda, qui * σύγχρονος Tito, vel certè ætati eius suppar.

## CAP. XXIV.

### *Suus numerus Suetonio restitutus.*

IN Suetonij Nerone extremo:

*Denique cùm post* x x. *annos, adolescente me, exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret, tam fauorabile nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus sit.*

Numerus corruptus & iusto maior videtur. Longa enim hæc latitatio in x x. vsque annum: & quam refellit Zonaras in Tito: Ἐπὶ τούτου, inquit, καὶ ὁ Ψευδονέρων ἐφάνη ὃς Ἀσιανὸς ἦν, ἐκαλεῖτο δὲ Τερέντιος Μάξιμος· προσεοικὼς δὲ τῷ Νέρωνι καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν φωνήν. καὶ γὰρ καὶ ἐκιθαρῴδει. ἔκ τε τῆς Ἀσίας τινὰς προσεποιήσατο, καὶ ἐπὶ τὸν Εὐφράτην προχωρῶν, πολλῷ πλείους ἀνηρτήσατο. καὶ τέλος πρὸς Ἀρτάβανον τὸν τῶν Πάρθων κατέφυγεν ἀρχηγόν ὃς καὶ δι' ὀργῆς τὸν Τίτον ποιούμενος, ἐδέξατο τοῦτον, καὶ καταγαγεῖν ἐς Ῥώμην παρεσκεύαζετο. *Sub eo Pseudo-Nero exstitit, qui Asianus erat, nomine Terentius Maximus, facie verò & voce Neroni persimilis. atque etiam citharâ canebat. Is in Asiâ quosdam sibi adiunxit, & ad Euphratem progrediens longè plures conciliauit. Denique ad Artabanum Parthorum regem confugit, qui Tito infensus recepit eum, & Romam reducere statuit.* Non alibi tam expressè res hæc tradita. At enimuerò si sub Tito hæc fraus, quis dubitabit, quin denaria nota superet in Suetonio? Atque ita initio Titiani imperij falsus hic Nero fuerit. Breuiter de eo Tacitus initio Historiarum, vbi hunc quoque motum tangit, inter præcipua scriptionis suæ argumenta: *Mota propè Parthorum arma falsi Neronis ludibrio.*

## CAP. XXV.

### *De sacris Apicibus, eorumq́ue materiâ & formâ. Galerus, Albogalerus, Apiculum. Varronis lectio defensa.*

CVm pridem antiqua fori Romani monimenta curiosis oculis arbitrarer, plusculum me tenuit apicis siue pillei sacerdotalis elegans forma, quæ in zophoro trium columnarum ad radices cliui Capitolini. & hac occasione domum pòst paullò reuersus scidas & aduersaria non indiligenter excutere cœpi. Multa quidem in illis, verùm, vt fit, sparsim & confusim annotata. Sed & aliqua superuacua: quibus de industriâ prætéritis, elegi quædam, &, vt ita loquar, edecumaui, quæ maximè facere ad rem propositam viderentur, leuitérque digesta capite vno complexus sum. *Apex* itaque *sacerdotum est insigne, dictus ab eo, quòd comprehendere antiqui vinculo apere dicebant. vnde aptus is qui conuenienter alicui iunctus est.* Hæc Festus. Is autem duplex fuisse videtur, alter Flaminum, alter Pontificum, imò aliorum item sacerdotum. Communiter enim & γενικῶς à Festo *sacerdotum insigne* appellatur. Et Pacatus, in laudatione Theodosij: *Insignes apicibus sacerdotes.* Sed & de Saliis Dionysius: Τὰς καλουμένας ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς. *Apices qui appellantur capitibus imponentes.* Nec Athenæus aliò referendus: apud quem ita Larensius (siue is Romanis Laurentius fuit:) Πίλους τε ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα τῶν προβατίων δερμάτων δασεῖς. *Pilleósque capitibus imponimus è pellibus ouillis densos.* Nam Laurentius ille inter Romanos Pontifices aut Sacerdotes. Ita enim idem Athenæus de illo: Καθεστάμενον ἐπὶ τῶν ἱερῶν καὶ τῶν θυσιῶν ὑπὸ τοῦ Μάρκου βασιλέως. *Præpositum sacris sacrificiisque à Marco Imperatore.* Capit nempe argumentum frugalitatis Romanæ, quòd etiam tunc inter sacra Pilleis istis Ouillis vterentur, prisco ritu. Atquin *Ouilli pillei*, apices sunt. Festus in voce *Tutulus*: *Quidam pilleum lanatū esse dicunt, quo Pontifices vtuntur.* Vides *lanatum.* nec enim corium nudum erat, sed cum suâ lanâ: & ideò δασεῖς, *densos, crassos*, Athenæus dixit. Isidorus: *Apex est pilleus sutilis, quo sacerdotes gentiles vtebantur.*

Sutilis,

Sutilis, nimirum è pellibus, vt dictum. Idem ostendit & *Galerum* appellatum : *Galerum, pilleum ex pelle cæsæ hostiæ factum.* Et Apuleius in Apologiâ: *Diogeni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum.* Ergo sacerdotes etiam habuere, eóq; referenda insignia Apicis in C. Iulij Cæsaris, Cn. Domitij & aliorum numis, qui exstant. Nam viris doctis & antiquariis nihil accredam, qui Flaminij Iuliani notam esse volunt. Quid? an ille Flamen? numquam inauguratus fuit: destinatus tantùm, & à Sullâ statim priuatus. Itaque Pontificatum eius maximum notat. De pilleo Flaminis Varro tradit, propriè *Albogalerum* appellatum : *Flamen solus habet Albogalerum, vel quòd maximus, vel quòd Ioui immolatâ hostiâ albâ fieri oportet.* Ergo videtur ille solus album Apicem gestasse, alij alîus coloris. Præterea *pilleo Flaminum* (verba Festi) *adfigebatur apex virgula oleagina.* Sed & discrimen erat in ipsâ gestatione. Nam ὁ Φλάμεν (ait Appianus 1. Ciuil.) πιλοφορεῖ μόνος ἀεί, τῶν ἄλλων ἱερέων ἐν μόναις πιλοφορούντων ταῖς ἱερουργίαις. *Flamen solus apicem semper fert, cùm reliqui sacerdotes tantùm in ipsis sacris.* Notabilis hic locus & ad differentiam & ad firmandos apices omnium sacerdotum. Formam eorum fuisse scribunt κωνοειδῆ siue metalem. Dionysius: Πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδῆ, οὓς Ἕλληνες κυρβασίας καλοῦσι. *Pilleos altos in formam coni coëuntes, Græcis Cyrbasias dictos.* Varro : *Tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent vt metam.* Quæ scriptura videtur ferri posse, neque temerè ablegandum, *in sacris*, in quibus eorum maximè vsus. Sed & Festus de metâ : *Tutulus pilleus lanatus metali formâ.* Et adstipulantur numi antiqui: nesciò an lapides; certè non ij, quos ego quidem vidi. Nam hi pro metali faciunt pænè semicircularem. Ac ne quis oculorum meorum fidem timeat, rem ipsam testem dabo: lapides, inquam, ipsos ex archetypis expressos, quorum alter in arce Capitolinâ, alter in fornice Fabiano.

Addam



Addam tertium insignem artificio cultuque, & ex orbe conoque mistum. Est is, de quo capitis initio dixi, in cliuo Capitolino, fulmenque & oleæ ramum habet. Quare facilè adducor, vt credam, Flaminis esse Dialis: maximè cùm aliquorum sententiâ, quibus album ego calculum adiicio, reliquiæ templi sint, quod Augustus in cliuo Capitolino (P. Victore teste) Ioui Tonanti consecrauit. Cùm enim * Palladius id negat, quia tam culta tamque ornata structuræ ratio non competit sæculo Augusteo, sanè oculos in occipitio habuisse videtur, nec Epigraphen operis legisse, quæ restitutum esse dicit. Superest de Apiculo: *Apiculum*, inquit Festus, *filum quo Flamines velatum apicem gerunt.* Sed fortè caligarunt exscriptorum oculi. Seruius enim, *Apiculum*, ait, *quo Flamines velatum caput gerunt.* Dicit caput eo velari, non ipsum apicem, & referri possit ad ea quæ idem alibi: *Flamines in capite pilleum habebant, quod cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœperunt. nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat.* Dionysius etiam respexisse huc videtur, cùm scripsit Flamines gestasse πιλωτὰ καὶ στέμματα, *pilleos & filamenta.* An & Statius Poëta?

* Lib. de Architecturâ.

K *Lanea*

*Lanea cui Phrygij coma flaminis.*

Liuius enim filum, quo Feciales vſi, *lanæ velamen* appellat. etſi ad apicem referri quoque poteſt, ſicut hoc Virgilij:

*Lanigeróſque apices.* ———

Non poſſum tacitus præterire, apicem pro pilleo à Cicerone vſurpatum, 1. De Legibus, cùm *ab aquilâ Tarquinio apicem impoſitum* ſcribit, qui Liuio pilleus eſt in eâdem re ſiue miraculo narrando. itemque quod Appianus 1. Ἐμφυλ. de Merulâ notat, apice depoſito, venas ſibi incidiſſe, quòd Flaminem apicatum mori nefas.

*Interſerendus hîc Iconiſmus Apicis in lapide cliui Capitolini.*

## CAP. XXVI.

### *Iuuenalis emendatus; & ſecùs quàm vulgò enarratus.*

NOn ſatis eſt ad meum ſtomachum Iuuenalis illud Sat. VI.

——— *altera læuum*

*Extendit, pectitque comas & voluit in orbem.*

& genuinum Poëtæ eſſe exiſtimo, *plectitque comas*: id eſt complicat & concinnat in anulos. Eâdem Sat. quod eſt,

——— *nondum Græcis iurare paratis*

*Per caput alterius.*

explicant de periuriis; ego, quamquam Græcorum ingenia moréſque ea non abhorrebant, ad adulationem potiùs refero, notaríque puto Græculos eius æui, qui paſſim in magnis domibus, & per ſalutem aut Genium heri ſui iurabant. ſcilicet eumdem iis honorem, quem Diis aut Principi habentes. Iam ad illud,

——— *periit libraria, ponunt*

*Coſmetæ tunicas,*

Librariam intellegi volunt, quæ exſcribit dominæ libros. Sed an non palmam demus Gloſſulæ Pythæanæ? *Libraria, lanipendia*: quæ ancillis nempe diſtribueret appenderetque lanam. & inde Penſa. Pòſt deinde:


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

*Interpres legum Solymarum & magna sacerdos*
*Arboris ac summi fida internuntia cæli.*

Referunt hoc omnes ad nemus Egeriæ, quod inhabitabant Iudæi. Suprà:

*Omnis enim populo mercedem pendere iussa est*
*Arbor, & eiectis mendicat silua Camenis.*

Mihi suspicio de sensu magis arcano, & cum irrisu Sacerdotem arboris dici, quia Iudæi censebantur in templo colere vitem.

## CAP. XXVII.

### *Suetonius & Dio, siue potiùs Xiphilinus, leui correctione in gratiam reconciliati.*

NVllâ re veritas altiùs mergitur, quàm dissensu dissidióque librorum. Hic lectorum

——— *animos nunc huc, nunc diuidit illuc,*

nec quicquam cuiquam accredere omnino sinit. Interdum tamen conciliari pax potest, neque semper * ἄσπονδον hoc bellum. *irreconciliabile.* Et fortassis tale inter Suetonium & Dionem, siue potiùs Xiphilinum, quà de factionibus agitatorum auctis à Domitiano scribunt. ille quidem sic: *Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quattuor priscas addidit.* hic autem contrà, non de purpureo, sed argenteo panno: Τοῖς δὲ ἁρματηλάταις δύο γένη ἕτερα, τὸ μὲν χρυσοῦν, τὸ δὲ ἀργυροῦν ὀνομάσας προσκατέστησε. *Aurigarum duo genera adiunxit, quorum vnum aureum, alterum argenteum appellauit.* Certè vnius syllabulæ mutatione res confiet, si πορφυροῦν reponere audemus. Si id religioni habemus, dicendum est, insignem fuisse errorem aut supinitatem in exscribendo Xiphilini. Nam argenteus color albus est, atque iam antè Factio albata. In Cassiodoro quattuor colores prisci nominantur; sed cum corruptiunculâ: *Prasinus virenti verno, Venetus nubilæ hiemi, roseus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est.* Legendum, *russeus.* Nam *roseus* profectò minimè, qui ad purpureum accedit. & in codice Columniano, *russeus vel roseus*, hæsitante librariolo scriptum; ac passim in lapidibus, FACTIO RVSSATA.

## CAP. XXIIX.

### *In Scholiaste Iuuenalis vetus scriptura integrata.*

SCholiastem Iuuenalis veterem Petrus Pythæus, multis ornamentis ingenij, virtutis, honoris præditus, magno rei litterariæ bono vulgauit; sed multimodis corruptum & hiulcum. pluscula ipse sanauit; pauca nunc ego. Sat. I. ad illa verba

*——— cùm verna Canopi*

*Crispinus. ———*

*Crispinus.] Niliacus, vnus de Consulibus Liciniæ, ac de plebe Ægypti fuit, magnarum postea Romæ facultatum.*

Grauissimo vulneri magno aliquo fomento medendum est. Apage igitur Consules istos Liciniæ, quos ego nec vnquam fuisse nec vsquam gentium arbitror; eorúmque vicem repone, quod germanum auctoris: *vnus de consodalibus Licini ac de plebe.* Vult quippe cum altero illo præpotenti nebulone Licino iunctum olim sodalitio fuisse, de cuius item opibus alij multa. Sat. v. de Sarmento:

*Quare per ludos, qui ibi primus* X I V. *ordinibus sedit, hæc à populo in eum dicta sunt:*

*Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.*
*Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.*
*Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.*

Lego: *per ludos quibus primitus* X I V. *ordinibus sedit*, id est cùm primùm pro equite ausus & inter equites sedere. Iocorum autem vulgarium argutia in eo, quòd velint hunc falsum equitem non eo loco, sed seruili ergastulo dignum. Primus versus ludit in scripti nomine. Nam, vt eques esset, Censorium scriptum emerat Sarmentus. Ita in vitâ Horatij priscâ legitur, *eum quæstorium scriptum comparasse.* Et Cicero in Verr. lib. I I I. clarè ostendit, cuius è libertinis, *numulis corrogatis decuriam scribarum emere licuisse.* Habet igitur, inquiunt, Censorium scriptum; at populus voluerat, vt in fronte scriptus & stigmatias ergastulorum more esset. In fine quoque eius Scholij iocus est, quem explicamus:

*Iam autem senex coactus auctionare, cùm interrogaret conscriptum*

*ptum quoque Censorium venderet, non infacetè bonæ se memoriæ esse perdita.*

Scribo: *cùm interrogaretur, cur scriptum quoque Censorium venderet; non infacetè bonæ se memoriæ esse prædicauit.* Sarmenti hic iocus: rogabatur, cur Decuriam quoque, id est Scriptum venderet. Bonæ memoriæ sum, inquiit. quasi diceret, Scripto non egeo, omnia commemini sine scripto. Pro corollario capitis addam hunc Sat. x. versum,

*Exsilium & carcer Minturnarumque paludes.*

vbi Scholiastes:

*Marius fugit, & latuit in Galliis, in Minturnarum paludibus.* Monstrum: an ibi, id est in mediâ Italiâ Galliæ? Corrigendum sine dubio, *in calamis.* Plutarchus: Καὶ πτῆξαι κελεύσας ἐν χωρίῳ κοίλῳ παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπέβαλλε τῆς τε καλάμων πολλῆς καὶ τῆς ἄλλης ἐπιφέρων ὕλης ὅση κούφη: *Et loco cauo propter amnem demittere se iusso* (Mario) *multam arundinem iniecit, aliamque materiam aggessit leuem.*

## Cap. XXIX.

### *Iulij Frontini de Strategematis pluscula loca sanata.*

VTilem sanè operam homines doctissimi in Iulium Frontinum contulerunt, remque è malâ meliusculam fecerunt. meliusculam inquam, non optimam, quòd etiam nunc aliqua reperiuntur parùm lauta, quæque cinerem quærant. Strategematum lib. I. cap. XII.

*Scipio ex Italiâ in Africam transportando exercitum, cùm egrediens nauem prolapsus esset, id quod trepidationem afferebat, constantiâ & magnitudine animi in hortationem conuertit. Et ludite, inquit, milites, Africam oppressi.*

Velim: *Ludens, inquit, milites Africam oppressi.* Lib. II. cap. IV.

*C. Sulpicius Petreius Consul contra Gallos dimicaturus.*

Imò verò, *Peticus Consul.* quod cognomen Sulpiciæ genti, & in historiis obuium. Eodem libro, cap. v.

*Iapyges P. Licinio Proconsuli pagos quoque sub specie deditionis obtulerunt, qui recepti & in postremâ acie collocati terga Romanorum ceciderunt.*

Emendat non nemo: *paganos quoque*. At ego, *paucos quoque*, malim. Illud *quoque* pertinet ad exemplum præcedens de Annibale. Lib. III. cap. II.

*Epaminondas Thebanus in Arcadiâ, die festo, effusè extra mœnia vagantibus hostium feminis*, &c.

De verbo, *vagantibus*, incertat animum meum Polyænus in eâdem re narrandâ. Ait enim feminas istas bibisse ἄχρι μέθης, *vsque ad ebrietatem*, & mox exiuisse ἐπὶ τινὰ νυκτερινὴν θυσίαν, *ad quoddam nocturnum sacrificium*. Itaque bacchari iis aptum, & *bacchantibus* huic loco. Sed ego fortasse hîc satago, &, quod dicitur,* λύκου πτερὰ ζητεῖ· non certè in eo quod subiicio. Cap. VII.

* lupi alas quærito.

*Clisthenes Sicyonius ductum aquarum in opidum Criseorum ferentẽ rupit. mox affectis siti restituit aquam elleboro corruptam, quâ vsos profluuio ventris decipiens cepit.*

Scribo: *profluuio vẽtris deinceps cepit*, vel *deficientes cepit*. Cap. IX.

*Philippus in obsidione cuiusdam maritimæ vrbis binas naues procul à conspectu contabulauit, superstruxitq; iis turres: aliis deinde turribus adortus à terrâ, domibus propugnatores distrinxit, turritas naues à mari applicuit, & quà non resistebatur, subiit muros.*

Quis adeò Pyrrhonius, vt pronuntiare dubitet, hoc loco vitium esse? Tollimus id diuulsione vocum: *dum ibi propugnatores*. item, cõuersione Præteriti in Præsens, *distringit*, pro *distrinxit*. Cap. X.

*Idem, vt Saguntinos eliceret, rarâ acie ad muros accedens*, &c.

Resistamus ad limen. Quis ille *idem*? Hannibal? certè is præcessit, sed alius ab eo qui Sagũtinos deuicit. Nam Hannibal est qui in Siciliâ bellum gessit, & *Himeram vrbem cepit*, vt ibi narrat. Quomodo ergo idem qui cum Saguntinis manum conseruit? Certum est exscriptorum virtute & magisterio deprauatam scripturam, atque adeò Criticam opem aduocandam. In duabus autem positus sum sententiis: vna, quòd legendum, *vt Segestanos eliceret*, notam Siciliæ gentem: altera, *Item, Hannibal vt Saguntinos*. Ita repetendum Hannibalis nomẽ sit, omissum quasi superuacuum à tẽporum hominumq; parùm gnaris. Cap. XVII.

*Velius Præfectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenens misit ad Hasdrubalem*, &c.

Credo, *Liuius præfectus*, si hæc quidem gesta, vt apparet, bello Punico

Punico ſecundo. Nam conſtat è Liuio aliíſque, hunc præfuiſſe arci, opido per ſocordiam eius amiſſo.

## CAP. XXX.

### *Adoratio ſacra purpura. Non omnes ad eam promiſcuè admiſſi. A Conſtantio cœpit, & hodie etiam in vſu.*

INter ampliſſimos honores, quibus Principes ætas poſterior affecit, adorandæ purpuræ fuiſſe comperio. Ammianus lib. XV. *Suſceptus tamen idem dux leniter, adactuſque, inclinante negotio ipſo ceruices, adorare ſolemniter anhelantem celſiùs purpuram.* Idem lib. XXI. *Verùm cùm primitus viſus, adorandæ purpuræ datam ſibi copiam aduertiſſet.* Sed quid hîc *adorare purpuram*? non aliud quàm tangere eam, & ad os veneranter admouere? Declarant ſequentia in Ammiano. Cùm enim ille (captiuus Lucilianus) ſecurum hoc facto ſe putaret ac Principi reconciliatum, ſubiecit iſte: *Hæc verba prudentia ſerua Conſtantio. Maieſtatis enim inſigne, non vt Conſiliario tibi, ſed vt deſinas pauere, porrexi.* Appellat autem *Maieſtatis inſigne porrigere* purpuram hanc dare oſculandam. Colligas idem ex altero loco, ſuperiùs paullò: *Inter complures alios honore conſpicuos, adoraturi Imperatorem peregrè venientem ordinantur etiam ex Tribunis inſignibus. Cùm igitur à Meſopotamiâ reuerſus Conſtantius hoc exciperetur officio, Amphilochius quidã ex tribuno Paphlago auſus paullò petulantiùs ſtare, vt ipſe quoque ad parile obſequium admittendus, agnitus eſt & prohibitus.* Nam ordine ſcilicet admiſſi fuerunt ad ſacræ purpuræ tactum. Idem Ammianus de Thalaſſio inimico: *Quo adorare adeſſeque officio inter honoratos prohibito.* Sic etiam olim ſalutatione prohibebantur. Suet. Veſp. cap. IV. Mos hic non admodum vetus; ſed à Conſtantio (ſi Ammiano fides) ortus. Eodem libro XV. *Vrſicino ingreſſo Conſiſtorium offertur purpura: atque ita ante Principis pedes ſupplicem ſtatuerunt externorum Regum ritu, cùm ſemper anteà ad ſimilitudinem iudicum ſalutatos Principes legerimus.* Sed & hodie hæc Adoratio in vſu: tangendi inquam veſtem & ad os admouendi. Quòd certis au-

tem

tem & honoratioribus tantùm perſonis ſacræ purpuræ tactus permiſſus fuerit, quaſi beneficij loco, vel ratione tituli, præter Ammianum toties hîc citatum, Caſſiodorus in Variis ſatis declarat: Lib. XI. Ep. XX. de Primicerio: *Quapropter ſpectabilitatis honore ſuffultus inter Tribunos & Notarios venerandam purpuram adoraturus accede.* Iterùm Ep. XXXI. de eodem: *Inter domeſticos & protectores ſacram purpuram adoraturus accedat.*

## CAP. XXXI.

## *Qui Diui fratres in Lampridio. Vopiſcus correctus.*

LAmpridius in Elagabalo: *Lapides qui Diui dicuntur, è proprio templo; Dianæ Laodiceæ ſimulachrum ex adyto ſuo, in quo id Oreſtes poſuerat, auferre voluit.* Qui ſunt hoc loco *Diui*? An Diui fratres, id eſt Caſtores? Argumentum ex Euſebio, qui Domitiani rebus adnotat: *Multa opera Romæ facta, in quis Capitolium, Forum tranſitorium, Diuorum porticus.* Atqui Domitianus inter alia Caſtorum templum inſtaurauit, ſiue additis porticibus ornauit. Martialis lib. IX. Epigr. IV.

*Quid loquar Alceiden; Phœbumque pióſque Laconas?*
*Addita quid Latio Flauia templa polo?*

Sed animus mihi pendet, ampliúſque deliberandum cenſeo.

Vopiſcus in Probo:

*Orbis terrarum non arma fabricabit, non annonam præbebit: vobis habebuntur aratra, equus naſcetur ad pacem: nulla erunt bella, nulla captiuitas.*

Pro ſtatu pacifico, quem deſcribit, & quia ſequitur de equo, non malè, * τὀγ' ἐμοὶ δοκοῦν, legatur, *bobus habebuntur aratra.* Nam id inter præcipua pacis munera, terram coli, nec aut boues abripi, aut aratra in enſes verti.

* *pro mea opinione.*

CAP.

# CAP. XXXII.

## *E J. Frontino pluria vitia sublata.*

FRontinum mihi sodes corrige, lib. I V. cap. I I I.

*M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum esse traditur.*

Satis enim liquet τὸ *esse* alienum occupasse, proque eo mittendum in possessionem verbum *egisse*. Et cap. V.

*Sempronius Tuditanus & C. Octauius Tribunus militum, omnibus fusis ad Cannas, cùm circumsederentur, suaserunt commilitonibus, vt stringerent gladios, & per hostium præsidia erumperent secum. de cunctantibus duodecim omnino equitibus vel peditibus qui comitari sustinuerunt repertis, incolumes Canusium peruenerunt.*

C. Octauium illum Tribunum —— *qui sit homo, nescio,*
*Neque noui: neque natus, nécne is fuerit, id solidè scio,*
quoniam ignotus planè & innominatus aliis est scriptoribus. Hoc igitur dubium me dabat, an nō scriptum olim, *Tuditanus è leg. octauâ Tribunus militum.* Solent enim, vbi plures legiones, ad discrimen numerum addere & designare, in quâ quisque Tribunus. Liuius, Cæsar, & alij. Sed nil demuto, præter, *Tribuni militum.* Nam de Sempronio liquidò constat. Etiam illa vitiosa, *duodecim omnino eq.* bonóque periculo corrigas è Liuio: *DC. omnino equit.* Nam tot numero fuere, qui comites se dederunt animoso huic Tribuno. Eodem cap. exemplo penultimo:

*Æginenses, cùm à Vialotis liberi & coniuges cæderentur, præoptauerūt spectare supplicia pignorū suorum, quàm à Romanis deficere.*

Palmerius ingeniosè quidem & acutè emendat, *à Bæotiis.* Ego tamen præoptem, *ab Ætolis.* Nam de horum acri & sæuo cum Romanis bello libri & historiæ loquuntur. Sed nec à scripturâ nimium recedimus. Cap. vlt.

*C. Cæsar cùm in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus, eaque armorum scientiâ milites conficeret, ora oculósque eorum gladiis peti iussit.*

Sermo ille inquinatus: *milites armorum scientiâ conficere.* Coniicicimus ex ipsâ re gestâ: *suique armorum scientiâ militis confideret.*

## CAP. XXXIII.

### *De Claudiani versibus aliquot, coniectura. Numeri militares.*

COr & cerebrum pænè mihi finditur, quoties apud Claudianum in oratione Romæ lego:

*Ast ego quæ terras humeris pontumque subegi.*

Quis enim bambalio sic loquatur? virtute, manu, copiis, quiduis potiùs dicendum erat. Itaque sine controuersiâ τὸ *humeris* * ἐς κόρακας, quod aiunt, mitti debet, eiúsque vice aliud rei conuenienter assumi. Quid autem potissimùm? Mihi quidem

——— * δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα καὶ ἔνθα.

Nam *armis* quidem idoneum sit; at nescio quomodo non satis * εὔφωνον, & à scripturâ longulè dissitum. *Numeris* autem, pro cohortibus & copiis militaribus, cùm benè aures implet, tum à libro minùs nihilo discedit. Sed vereor, ne quis hoc tanquam inusitatum proscribat, eoque Claudianum vsurum fuisse neget. quod tamen facere non sunt veriti cùm Vlpianus & Paullus Iurisperitorum coryphæi, tum politissimus ille Secundus. Nam Tertullianum & Optatum Mileuitanum in medium non voco. Quid, quòd hoc verbum circa Claudiani tempora frequentissimo in vsu? Patet ex Sozomeno: *Romanorum cohortes, quæ nunc numeri nuncupantur.* Itaque caussam non video, cur id tantopere abhorruerit, qui satis liber talium, atque adeò religioni non habuit, *absentare, madidantes, podager* pro podagrico, & huiusmodi quædam vsurpare. Verumtamen si rectius quis reppererit, dabo manus.

* ἴσμεν γὰρ οὐδὲν τρανὲς, ἀλλ' ἀλώμεθα.

Apud eumdem eodem libro:

*Hoc erat in fratres? medio discordia Mauro*
*Nascitur, & mundus germanaque dissidet aula?*

Ita libri vulgati, præter eum qui nouissimè Lutetiæ prodiit, habentem: *Hoc erat? in fratres m. d. M.* Vtriq; nónne præstet?

*Hoc erat in fatis? m. d. M. N. & m. g. dissidet aula?*

Paullò post:

*Restitit*

* *ad coruos*

* *Diuisus nunc huc animus nũc voluitur illuc.*

* *bonum sonum habens.*

* *Nã certi habeo nil, huc & illuc fluctuans.*

*Restitit in speculis fati, turbaque reductus*
*Librauit geminas euentu iudice vires,*
*Ad rerum momenta cleps, seseque daturus*
*Victori. Fortuna simul cum morte pependit.*

Postrema hæc non facio tanti. Quî tamen emendem, consilij certi parata gutta non est. Vt tamen deuorem, quod aliquamdiu circumrodo, quid si *mente* pro morte scribamus? Hoc nunc placet, ——— * ἐπεὶ οὐ μὲν τι πρὸς περινοῆσαι ἄμεινον. --- * quando melius reperire haut est mihi quicquam.

Nec magis ferendum quod subiungitur:

——— *vix hæc amentia nostris*
*Excubiis; nedum puero rectore quiescet.*

De præteritis enim sermo. quare valeat τὸ *quiescet*, eique succedat *quiêsset* per συγκοπὴν pro *quieuisset*.

## CAP. XXXIV.

### *De cultu sacrarum arborum. Longè latèq; diffusam hanc superstitionem fuisse, & in Conciliis sæpè damnatam.*

MIrum ingenium, magna vis superstitionis: nihil tam ineptum & absonum fidei, quod non persuadeat; nihil tam indignum ac turpe factu,

——— *quod non mortalia pectora cogat.*

Hæc nemora, hæc arbores quasi sacras, imò Deorum sedes, coli iussit. Plin. lib. XII. cap. I. *Arbores fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiamnunc Deo præcellentem arborem dicant.* Maximus Tyrius Ser. XXXVIII. Κελτοὶ σέβουσι μὲν Δία, ἄγαλμα δὲ Διὸς Κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς. *Iouem Celtæ colunt, Iouis autem apud eos simulachrum alta quercus est.* Liuius: *Et hæc, inquit, sacrata quercus & quicquid Deorum est audiant.* Quinctil. lib. X. *Quasi sacras vetustate quercus adoramus.* Itaq; vittis & lucernis eas colebant. Prudentius II. contra Symmachum:

*Et quæ fumiferas arbor vittata lucernas*
*Sustinuit, cadit vltrici succisa bipenni.*

Sed & vota ad eas nuncupare & tabellas appendere solebant. Ouidius IIX. Metam.

*lucis népe

*Stabat in* his ingens annoso robore quercus*
*Vna nemus: vittæ mediam memorésque tabellæ*
*Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.*

Isidorus hunc morem tangit, nec intellegit. Lib. XVII. cap. VI. *Lucus est densitas arborum, tropo per Antiphrasim, eò quòd non luceat, siue à luce, quòd in eo lucebant funalia vel cerei propter vlmorum tenebras.* Non herclè ob vlmorum tenebras; sed ob cultum. Et hac quoq; fini religiosi viatores ad eas gradum tanquam ad alicuius Dei vel aram vel simulachrum sistebant. Apul. Flor. I. *Neque enim iustiùs religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus.* Quemadmodum autem exuuias ferarum, sic hostium etiam spolia sæpè hîc deponebant. Liuius I. *Ibi ea* (spolia) *cùm ad quercum pastoribus sacram deposuisset.* Lucanus I.

*Qualis frugifero quercus sublimis in agro,*
*Exuuias veteris populi sacrataque gestans*
*Dona ducum.*

De anathematis prætereà legimus contra fascinum appensis, & pro fructuum prouentu: apud Suidam in προβασκάνιον. Ad summam, tanta diuinitas inesse credebatur, vt eas lædere ac violare extremum nefas ac piaculum haberetur. Exempla compendifacio, quibus opera Poëtarum plena sunt. Porrò autem latissimè vagata est hæc superstitio, nullamque ferè gentem intactam & intemeratam reliquit. De lucis Baali apud Samaritas & alios quàm frequens sacris in libris mentio? De Græcis Italisque mitto dicere, ne vel eadem iterare, vel vulgaria & peruagata nimis adferre necesse sit. De Indis Curt. lib. VIII. *Deos putant quicquid colere cœperunt, arbores maximè, quas violare capitale est.* De Gallis Maximus Tyrius sermone suprà allegato. Lucanus de luco Massiliensium lib. III. etiam victimas iis cæsas docet:

*Omnísque humanis lustrata cruoribus arbos.*

De Germanis Tacitus: *Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant.* Idem de Sueuis: *Statò tempore in siluam auguriis patrum & priscâ formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt.* Et XX. Ann. Ciuilem Batauos sacrum in ne-

mus

mus conuocasse tradit. Chronicon Vrspergense de Saxonibus: *Frondosis arboribus, fontibus exhibebant venerationem.* Althamerus vult Hercyniam siluam ab Hercule, Martianum nemus, vulgò nigram Siluam, à Marte nomen habere: & alius, Trebocos siue Triboces populum, quasi Treybuchios, à tribus fagis antiquâ religione sacris. Adeò verò penitus hæc persuasio se fixerat, vt sæpiùs à sanctissimis viris & Synodis damnata vix euelli stirpitus ex animis hominum potuerit, & ad postrema pænè tempora peruenerit. Contra eam D. Augustinus De tempore Serm. CCXLI. *Quicumque in agro suo aut villâ aut iuxta villam aliquas arbores aut aras vel qualibet fana habuerit, vbi miseri homines solent aliqua vota reddere, si non eas destruxerit vel succiderit, in illis sacrilegiis, quæ ibi facta fuerint, sine dubio particeps erit.* Et Concil. Carthag. v. can. xv. *Placuit ab Impp. gloriosissimis peti, vt reliquiæ* (gentilium) *non solùm in simulachris, sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omnino deleantur.* Arelatense II. *Si in alicuius presbyterio infideles aut faculas accenderint, aut arbores aut fontes vel saxa venerentur, si hæc eruere neglexerit, sacrilegij se reum esse cognoscat. Sacriuas* arbores eas vocat Concil. Antisiod. can. III. *Non licet inter sentes aut arbores sacriuas vel ad fontes vota exsoluere.*

## CAP. XXXV.

### *Frontinus De Aquæduct. duobus locis correctus.*

DE libellis Aquæductuum non sine caussâ dubitari potest, an eiusdem sint Frontini, qui Strategematum collegit. Purior enim & emendatior in illis videtur sermo. Vitia tamen, vt fit, ac menda quædam irrepserunt: quale est hoc lib. I.

*Martia autem parte sui, post hortos Pallantianos, in riuū qui vocatur Herculaneus, deiicit se per Cælium. Ductus ipsius montis vsibus nihil vt inferior subministrans, initur supra portam Capenam.*

Si enim ductus ille per montem Cælium, quomodo eo inferior? Corrigo: *Ductus ipsius montis vsibus nihil, at inferioribus ministrans, finitur supra portam Capenam.* Sententia est: Aqua Martia etsi per Cælium ducta, tamen colli illi non seruit, sed tota & illibata fertur ad loca subiecta.

Libro ſecundo:

*Nam cùm oriatur Anio ſupra Trebam anguſtā* (ſcribo *Auguſtam*: eſtq; Treba opidum Latij Plinio & Ptolomæo notum) *ſeu quia per ſaxoſos montes decurrit, paucis circa ipſum opidis obiacentibus cultis, ſeu quia lacus altitudine velut depuratur*, &c.

Legerim: *circa ipſum opidum obiacentibus cultis*. Pauci, inquit, agri culti aut vomere ſciſſi adiacent opidum Trebam: ideóque purior illic Anio, quoniam luti nihil trahit, aut radit è cultis ripis. Hæc enim cauſſa eſt, cur infrà Anio ſit turbidior, *quòd* (verba eius ſunt è lib.1.) *terras cultas circum ſe habeat, ſoli pinguis, & inde ripas ſolutiores*. Vel poſſit etiam legi, *paucis circa ipſum opidò*. id eſt, opidò paucis, Comicâ phraſi.

## CAP. XXXVI.

### *De pueris ac puellis alimentariis.*

MOrem hunc, etſi ſatis memorabilem, vix eſt vt putem à quoquam antehac libatum. Et ideò pro bono me facturum exiſtimo, ſi caput hoc ei dicauero. Fuerunt pueri puellæque tenuiores, eíſque cùm alendis tum erudiendis annui reditus, vel ex ærario fiſcóve, vel è priuatorum donis & legatis: idque partim miſericordiæ cauſſâ, partim in honorem & cultum Auguſtorum Auguſtarúmve; ſed cum ſexus diſcrimine, & vt illorum nomen pueri, harum puellæ referrent. Quæ diximus, ſubiectorum aſpectu locorum patebunt. Et primò quidem de pueris Martianus ad leg. Falc. *Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, pecuniam relictam ad alimenta puerorum Falcidiæ ſubiectam eſſe: & vt idoneis nominibus collocetur pecunia, ad curam ſuam reuocaturum Præſidem prouinciæ*. Et iterum lib.1. De legatis: *Si quid relictum ſit ciuitatibus, omne valet: ſiue in diſtributionem relinquatur, ſiue in opus, ſiue in alimenta, vel in eruditionem puerorum, ſiue quid aliud*. Sed & lapis antiquus:

*

DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMENTARI

De puellis autem Iul. Capitolinus, in Antonino Pio: *Puellas alimētarias in honorem Faustinæ Faustinianas constituit.* In M. Antonino Philosopho: *Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuæ.* Et de his vetus exstat numus, quem videre fuit in Musæo viri nobilis & tertiùm Antuerpiæ iam Consulis Nicolai Rokoxl; tum etiam omnibus hoc loci videndum dare. Est enim vir ille, si quis alius, in commune bonus, publicorumque commodorum, quà publicè, quà priuatim, admodum studiosus: ac proinde & rei antiquariæ & omnis elegantiæ thesauros, quos habet amplissimos, tam liberaliter omnibus recludit, vt quæ optimo iure sunt ipsius, ea publici iuris esse videantur. Huius igitur beneficio prodit in lucem hic numus, ad Capitolini loca nimis quàm accommodatus, & ex quo supplere simul & emendare possis eum, cuius epigraphen tum mancam tum vitiosam Adolfus Occo publicauit.




Sed hactenus de pueris puellisve seorsim; videamus qui coniungant. Facit Paulus I C^tus^ libro iam allegato de Legatis, qui locus insignis, & eâ re totus hîc à me transcribendus: *Ciuitatibus,* inquit, *legari potest etiam quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet. Ad ornatum: puta quod ad instruendum forum, theatrum, stadium, legatum fuerit. Ad honorem: puta quod ad munus edendum venationemve, ludos scenicos, ludos Circenses, relictum fuerit. hoc ampliùs, quod in alimenta ætatis puta infirmæ (senioribus, vel pueris, puellisq;) relictum fuerit; ad honorem ciuitatis pertinere respondetur.* Faciunt quoq; Spartianus & Capitolinus. ille in Hadriano: *Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.* hic in Alexandro Seuero: *Puellas & pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammæanas & Mammæanos instituit.* Adhæc lapides antiqui, Traiani vnus, alter Antonini Pij:

IMP.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG
GERM. P. MAX. TRIB
POTEST. COS. IIII. P. P.
NOMINE. PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P.

T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG
PII. PONT. MAX
TRIB. POT. XIII
IMP. II. COS. IIII. PP.
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI

Tertius elegantiſſimi doctiſſimíque Secundi noſtri, quem honoris eius cauſsâ L. M. deſcribo.

C. PLINIVS. L. F. OVF. CÆCILIVS
AVGVR. LEGAT. PROC. PR. PROVINCIÆ. PONT
CONSVLARI. POTEST. IN. EAM. PROVINCIAM. ET
IMP. CÆS. NERVA. TRAIANO. AVG. GERMAN
CVRATOR. ALVEI. TIBERIS. ET. RIPARVM. ET
PRÆF. ÆRARI. SATVRNI. PRÆF. ÆRARI. MIL
QVÆST. IMP. SEVIR. EQVITVM . . . . . . . . . . . . .
TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICÆ. . . . . . . . . . .
X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS. THER. . . . . . . .
ADIECTIS. IN. ORNATVM. H. S. CCC. . . . . . . . .
AMPLIVS IN TVTELA. H.S. CC. T. F. I. . . . . . .
ET. LIBERTORVM. SVORVM. NOMIN. H. S. XVII. LXVI. DCLVI. REI
INCREMENT. POSTEA. AD. EPVLVM. PLEB. VRBAN. VOLVIT. PERTIN
AMPLIVS. DEDIT. IN. ALIMENT. PVERORVM. ET. PVELLAR. PLEB. VRB. HS...
IN. TVTELAM. BIBLIOTHECÆ. H. S. C. . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Nec omittendum quod ipſe Plinius Ep. IIX. lib. I. *annuos ſumptus in alimenta ingenuorum* pollicetur, & educationis eorum munus commendat, vtiliſsimúmq; appellat. quod quidem non abſimile orphanotrophorum muneri videtur, cuius in Codice Iuſtinianeo Conſtitutionibúſque Principum aliquoties mentio. Adhæc in lapidibus reperire eſt hæc talia:

QVAEST. ALIMENT.
Q. ARC. PVBL. ET. PEC. ALIMENTAR.
QVAE. AER. ET. ALIM.
CVRATOR REIP. ALIMENT.

Verùm an hæc ad frumentariam modò diſtributionem pertinuerint, an & ſimul noſtram hanc rem alimentariam reſpexerint, in medio relinquam. Sed nec plura concenturiabo, ne fortè puti-

putidum & * ἀμετροεπῆ me quiſquam eſſe clamet. Vnum Dionis locum appingo, quo Traianum ita liberalitatem ſuam diffudiſſe conſtat, ὡς καὶ τῇ πόλεσι τῇ ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι. *vt etiam opidis Italiæ multa, ad puerorũ alimenta, contulerit.*

* *Verborũ immodicũ.*

## CAP. XXXVII.

## *In Claudiano diuinationes. Diſſenſus à viro docto.*

IN Claudiano, de bello Getico:

*Vulneribus pars nulla vacat, inciſáque cuncti*
*Gloria fœdati ſplendet iactantior oris.*

Stephanus Clauerius iuris & humanitatis conſultus qui Commentario Poëtam hunc illuſtrauit, hos verſus ita vulgauit. Rectè præut quo pacto paſſim: *reciſáque cunctis.* Τὸ *cunctis* enim certè eſt * ἀπόβλητον & nulli rei, cùm de vno mentio fiat. Quia tamen omnes ferè libri ſic habent, orta mihi ſuſpicio, adulterinum & * ὑπόβλητον eſſe pro *contis*, id. eſt lanceis aut haſtis, quibus illæ gentes vſæ, & vnde κοντοφόροι dicti. Iul. Pollux lib. I. Onomaſt. Examina Lector, & omnes in vtraque parte calculos pone. Ἐῤῥίφθω δὲ κύβος. Lib. II. in Eutropium:

* *reiiciendũ.*
* *ſuppoſititium.*
* *Iacta verò ſit alea.*

*Subter adulantes tituli nimiæque leguntur*
*Vel maribus laudes: claro quòd nobilis ortu;*
*Cùm viuant domini? quòd maxima prælia ſolus*
*Impleat; hoc patitur miles? quòd tertius vrbis*
*Conditor; hoc Byzas Conſtantinúſque videbunt?*

Ita locum hunc, ſi quis alius, corruptiſſimum R. P. Mart. Antonius Delrius egregiè iam olim emendauit. A quo tamen abit Clauerius, & in tertio verſu edit, *Conuiua & Domini*; in ſequenti, *& pariter miles.* Quid hoc aliud, quàm inuentis frugibus ad glandes redire?

——— * ἦ μάλα τοῦτο ἔπος νημερτὲς ἔειπε

vir ille in omni doctrinæ genere eminentiſſimus, probamq́; planè ſcripturam in integrum reſtituit. Cùm autem in eius explanatione Clauerius per Dominos ipſos deſignari dicit Imperatores, * Οὐδὲ καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι. Non enim illi omnium Domini, ſed Eutropij tantùm, à quibus faſtiditus & venum datus fuerat, intelligi debent, hac ſententiâ:

* *Verè equidem nimis eſt ea verba loquutus*
* *Sermone hoc aliũ meliorem promere nouit.*

tentiâ: nihil ineptius esse vel intolerabilius, quàm quòd ille genus & longos iactet natales, cuius adhuc domini sint superstites, sub quibus seruitutem eum seruisse constet. [a] Τοιόνδ᾽ ἐμὸν φρόνημα, &, audeo dicere, omnium, qui animum aduertunt. At secundo loco, quò minùs ab impressâ librorum orbitâ recedamus, exarari possit, *& patitur miles*.

*[a] Talis meus sensus.*

De IV. Consulatu Honorij:

*Quæ sub te vel caussa grauis, vel iudicis error?*
*Nec legitur dubiis quis litibus addere finem*
*Iustior, & mersum latebris educere verum.*

Ita libri excusi; sed melioris notæ MS. in Bibliothecâ Vaticanâ:

*Quæ sub te vel caussa grauis, vel iudicis error*
*Neglegitur? dubiis quis litibus addere finem*
*Iustior, & mersum latebris educere verum?*

Vtrum concinnius, palàm esse puto. De nuptiis Honorij & Mariæ: ——— *blando spirantem numine ceston*

*Cingitur, impulsos pluuiis quo mitigat amnes,*
*Quo mare, quo ventos irataque flumina soluit.*

Cui non suspecta hæc ταυτολογία? an aliud amnis à flumine? Puto *fulmina* non *flumina* γνήσιον auctoris esse, idque, eiecto subditio, suam in sedem reducendum. Sic apud alios, *iracunda fulmina*: *fulminis ira*. Sed horum talium iam sat est; imò vereor, ne nimis multum.

[a] Οὐ γάρ πως πάντεσσι χαριζόμενος τάδ᾽ ἀείδω.

Nec ad omnium hæc palatum: &, vt maximè sint, cauendum tamen, [b] μὴ κόρος ἐλθὼν κνίσῃ, vt ait Pindarus. Nam quod verissimè Poëta princeps;


[c] Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος,
Μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.

& breuiter idem Lyricus, [d] Κόρον δ᾽ ἔχει καὶ μέλι.

*[a] Fortè etenim cunctis non est mea cantio grata.*
*[b] ne satietas aduenìens grauis ac molesta sit.*
*[c] Cunctarũ satias rerum est, somni Venerisque Et cantus prædulcis & egregij saltatus.*
*[d] Satietatem & mel habet.*

## ERRATA.

*Pag.* 2. *lin.* 14. *lege* ὕπνῳ. *pag.* 7. *l.* 2. καλλιεροίδει. *ibid.* συνεληλυθότας. *pag.* 35. *in marg.* suppositítium. *pag.* 68. *lin.* 13. Glanim.



# PHILIPPI RVBENI

# AD

# IVSTVM LIPSIVM

# POEMATIA.

GVILIELMO RICHARDOTO

# IOAN. RICHARD. PRAES.

## FILIO

ACADEMIÆ DVACENÆ

CANCELLARIO.



Audes Ivsti Lipsi, cuius memoria mihi ſacroſancta, quò potiùs eant, quàm ad te, Gvil. Richardote, quem vnum omnium libentiſſimè lecturum exiſtimo? Perſuadet hoc eximius ille tuus erga τὸν μακαρίτην amor, ac debitus ille quidem cùm meritis eius & virtuti, tum affectui, quo te proſequebatur, pænè ſingulari. Talem certè fuiſſe iuxtà mecum tenent omnes, quos in eodem illo contubernio Felicitas intimè iunxit; & etiamnum probè meminerunt, quanti te ſemper fecerit vir ille omnium calculo maximus, quotiéſque & quàm pleno ore rectam indolem, ſuauiſſimos & optimos mores, ac mirificum in te ſtudium virtutis & litterarum commendarit. Sed quid opus in his priuatam conſcientiæ fidem interponere,

quæ tot litteris ac publicis teſtata monimentis patent? Ad tuam in me beniuolentiam venio, quæ ſpem mihi facit, quemadmodum amanti res etiam minimæ, quæ ab amatâ proficiſcuntur, in amore & deliciis, ita meum hoc qualecumque munuſculum aliquo penes te loco fore, communíſque potiùs amicitiæ, quàm ſui pretij æſtimatione ponderandum. Sed neque longior hac in parte ero, pluribúſve, quid cauſsâ meâ vel volueris vel feceris, enarrabo. *Satis magnum alter alteri theatrum ſumus.* Rogabo tantùm, ſpem hanc vtí meam ratam facias; ac ſi verba rem, quod facilè video, non exæquant, id non ſolùm infantiæ meæ, ſed & amplitudini viri adſcribas, cuius hæc præcipua laus, *dignè laudari non poſſe.* Qui vel parua vel mediocria aggreditur, niſi fauet Euentus, reprehenſionem facilè incurrit;

—— *in magnis vel voluiſſe ſat eſt,*

& conatus etiam in laude. Etſi ne conabar ego quidem, neque tam longè ſpem meam porrigebam. Non enim ipſe me prorſus ignoro, nec ex eâ ſum litteratorum notâ, qui ſimul ac verſum pedibus inſtruxerunt, in Heliconem continuò ſe veniſſe putant. Quod damus officium eſt, & omitti ſine culpâ non poteſt. Iuſta DOCTORI noſtro ſolui-

ſoluimus, ac dolori, quem ex eius obitu cepimus, multò grauiſſimo, poſtque tam longam intercapedinem etiamnum recenti, piè parentamus. Sed & ſoluimus quod debemus: ſi quidem ille ſoluit, qui cùm ſoluendo non eſt, memorem atque gratum animum præſtat, ac nomen publicè profitetur. Quid, quòd ipſe LIPSIVS, huius conſilij olim fundus & ſubſcriptor? Notum id tibi, GVIL. RICHARDOTE; & vt aliis item ſit, ecce Epiſtolam eius teſtem. Cur autem ELECTIS hæc adiicio? Partim quòd Ampliſſimo PARENTI dignus eo FILIVS aptiſſimè ſubiungi videatur, partim faſtidij, quod illa Lectori fortean attulerint, leuandi & abſtergendi: ad morem videlicet ſcenicorum, qui reficiendis auditorum animis aliud argumenti in exodio plerumque promunt & aſſumunt. Si fallor, &, quod aiunt, * τὸ κακὸν τῷ κακῷ ἰῶμαι, voluntatem tamen ſtudiumque gratificandi non ingratum fore confido. Benè vale, & viue.

* malum malo curos.

IVSTVS

# IVSTVS LIPSIVS
## Guil. Richardoto & Phil. Rubenio ſuis.

ABitis, imò abiſtis, & Vale illud, etſi mœſtis, dicendum tamen fuit. O quando iterùm Salue? Eritne vt videam, & viuam? Voueo:

*Et non antè mihi claudantur lumina morte,*

quàm ego vos brachiis iſtis claudam & aſtringam.

*Quorum ego manantes oculos & ſaucia vidi*
*Pectora:*

nec meis quidem illis ſiccis, aut hoc illæſo. Sed ite & redite felices, Italiam videte, ingenium polite, iudicium formate. Nam ego, cum Attio

*Probis probatos potiùs quàm multis velim.*

Noſtis æuum, vanitatem, luxum, delicias, ineptias:

*——— non ita Romuli*
*Præſcriptum & intonſi Catonis:*

neque hercules meum, vt tot annos audiſtis. Sed heus, tu Rubeni, nubem illam doloris circumfuſam Carmen tuum * ἀποβατήριον nonnihil diſpulit, ô dij boni, bonum. Palpo non te percutio, ſed cum Syracuſio,

*in diſceſſu

* Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα·

* Os plenũ tu mellis habes.

ô os Gratiarum & Muſarum! Vulgari poteſt, ſiue à te ſiue à me, ſed vulgari. Viſne vt ego per Moretum? promptiùs fecero, niſi ſint laudes meæ, & quidem ſuperfluentes. Sed vale, mi amice,

——— * τὸν ἐγὼ περὶ πάντων τῖον ἑταίρων
Ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ:

* quem ſuper omnes diligo amicos Vt caput hocce meum.

& caput hoc ipſum tango. Louanij xv. Kal. Oct. ∞.IↃCI.

PHI-

PHILIPPI RVBENI

# CARMEN

## Apobaterion & Euchariſticum

AD

## IVSTVM LIPSIVM

Doctorem & hoſpitem ſuum.



*Rgóne ſollicitos vacuum per inane precatus*
*Ventorum volucres animæ, ſcæuíve poteſtas*
*Cæca GenI rapuit, nec cæli ad lucida templa*
*Feruida ſe fauſtâ penetrarunt alite vota?*
*Ergo igitur Diuûm ſunt puluinaria fruſtra*
*Culta mihi, cunctáſque petitâ ritè per aras*
*Pace Deûm multâ genua incerata tabellâ?*
*Hæc ſortis promiſſa, hæc coniectoris apellæ*
*Reſponſa, & cælo, Phœnicum more, ſereno*
*Conſcia ſecreti ſcrutantis ſidera fati?*
*Hoc volucrum cantus, hoc præpetis omina pennæ,*
*A leuâ cornix, dextrâ Phœbæïus oſcen,*
*Multáque præterea, quibus immoderata cupido*
*Prona adhibere fidem, ſignorum læta notabant?*
*Heu ſpem fallacem! heu vanos ſimilantia viſus*
*Ludibria, in mentes hominum quos nocte ſoporâ*
*Limina candenti mittunt perfecta elephanto!*

*Non adeò nupèr toto ſpem corde ſinuque,*
*Seu minimè dubiam, ceu cælitus affulgentem,*
*Amplexus, curaque animum defixus in vnâ,*
*Italiam mea vota, tuis ſed* MAXIME LIPSI
*(Ah fruſtra!) auſpiciis ac ductu pænè videbar*
*Jam premere, & ſeptemgeminæ miracula Romæ*
*Per nebulam, quà fas, mihi cognita, cominus ipſis*
*Jam luſtrare oculis, cupidoque morantia longùm*
*Sæpè repræſentans animi mens gaudia (quid non*
*Illa potis, quas non ſpecies ingignere rerum?)*
*Vel ſacro fixum lateri, vel ponè ſequentem,*
*Vſque indiuiduum ſantis fingebat ab ore*
*Pendère, atque auidis haurire tot aurea dicta*
*Auribus, & largo deductos flumine riuos.*
*Nunc multùm diuerſa ſoli cælique docebas*
*Ingenia; vt mutentur & hæc labentibus annis,*
*Quæque olim tellus culturam dura negabat,*
*Quæ neque Pomonæ neque Bacchi munera norat,*
*Jam facilis domino, nec in vllo tempore mendax*
*Largiter & Bacchi & Pomonæ munera fundat;*
*Fluminaque Arctoi quæ victa furoribus axis*
*Sæpiùs iniectâ ceu compede torpeſcebant,*
*Non interrupto labantur libera curſu:*
*Nunc, quibus hic vaſtus diſtinguitur vrbibus orbis,*
*Haut ſecùs ac paruis in grandi corpore næuis:*
*Quæ quibus emineant inprimis opida rebus,*
*Quæ populis legum, quæ ſit variantia morum,*
*Quæ rerum regnique vices, vt in omnibus ortus*
*Occaſusque, ſuis vt quæque obnoxia fatis:*
*Nunc decora Italiæ veteris, ſub flore virorum:*
*Hic villam & magno prætoria culta colono:*

*Hic exſpiratum caua per tectoria ſulphur;*
*Nec procul inde lacus ac frigida piſcinarum*
*Balnea, & illuſtres buſta aſſeruantia manes:*
*At fragmenta alibi cuneatæ ingentia molis,*
*Deque triumphatis eductos gentibus arcus:*
*Quà lapſantem aram, quà crebrâ fulta columnâ*
*Tecta Deûm: grandes dehinc mirandáſque ruinas,*
*Ac fortunatam teſtantia rudera Romam.*
*Hæc in delitiis & amoribus: illa voluptas*
*Titillare animum, ſeu cælum Phoſphoros albis*
*Seu furuis Nocturnus equis alterna ſubirent.*
*His dapibus paſcebam oculos, hæc mattya tamquam*
*De Superûm miſſas inhiabam ſigmate partes,*
*Cùm velut hoſpitij ius & genialia ſacra*
*Aut fidi numen violaſſem Sigalionis,*
*Ipſis à labris tam dulcia ſcitamenta*
*Fugêre, & medio flos Bacchi euanuit ore.*
*Iam cælum ſublimis & aurea ſidera adibam*
*(Sæpè iterare iuuat, iuuat indulgere dolori)*
*Cùm velut ille olim facinus puer auſus inauſum*
*Remigio liquidæ defectus in aëre pennæ,*
*Aut Hyperïonius vibrati fulminis ictu*
*Excuſſus patriæ Phaëton temone quadrigæ,*
*Votorum ſummo de vertice præcipitaui:*
*Cùm ſoli carpenda via eſt (quæ Diique Deæque*
*Hæc Tropica?) illunæ ceu per caliginis vmbram,*
*Quòd duce deiectus tali, qui nocte vel atrâ*
*Lumen, qui mihi turba fuat per ſola locorum.*
*Vſqueadeóne igitur miſeris mortalibus ægrè*
*Proueniunt votiua? adeò ſors altera paſſim*
*Obuia? candidior tam raro calculus exit?*

*I nunc, & vultu Fortunæ crede sereno.*
*Nimbos ille parat nimius nitor, illa procellas*
*Sæuas illa hiemes pellacia blanda minatur.*
*Sed quid agis, quò me laxis ſpatiatus habenis*
*Prouehis affectus? Summi Prætoris in albo*
*Sic erat, & ſolido, cui fata inſculpta, metallo.*
*Quod ſtatuit, nos velle decet, cæliq́ue negata*
*Decreto vanâ non ſuſpirare querellâ.*
*Quin, quod & officij ratio nunc poſtulat, & mos,*
*Triſte vale potiùs facio? quin dicere grates*
*Accingor tibi* SVMME VIRVM? *nam reddere dignas,*
*Et grande hoc tecum pariando expungere nomen,*
*Tam pote, flammigeræ quàm more volucris, in ora*
*Intonſi radiata Dei, cùm pleniùs orbem*
*Peruolgat, cùm iam medio aurigatur Olympo,*
*Inconniuam aciem & rectum fixiſſe obtutum:*
*Quàm velut aëriam referentia pennipotentum*
*Corpora naturam, ſuperam volitare per æthram;*
*Errare aut inſtar animantum Nerinorum*
*Molem per liquidam & ſpatioſi terga profundi.*
*Quid tibi, ſi tabulas inſpêxis, debeo, quid non*
*Debeo? tu modicâ inuectum freta cæca carinâ,*
*Non ad Erythræo latitantem gurgite prædam,*
*Aut ſpolia illa nouæ noua Colchidos, aut Eoï*
*Meſſeſque mercéſque ſoli; ſed ad optima rerum,*
*Ad pretioſum animi cenſum cultumq́ue parandum,*
*Dirigis, vt ſpeculâ nocturnum lumen ab altâ,*
*Ardentéſque aſtrorum ignes, quibus arboris vncta*
*Nauita per tumidum moderatur Nerea greſſus.*
*Tu tamquam ignotâ paſſim regione vaganti*
*Sponte tuâ certam monſtras rectamq́ue viarum.*

*Quæ*

*Quæ sacros patet ad latices & Musica labra,*
*Ac breuiore isthinc quasi tramite ducit ad illa*
*Edita doctrinâ sapientum templa serenâ.*
*Ad summam, angusto describam vt pluria gyro,*
*Tu satus Iäpeto, tû Maiæ filius almæ,*
*Tu bonus ille mihi Genius, qui noxia missus*
*Munera Pandoræ cumulo pensare bonorum,*
*Nectareum rectæ mentis cratera propinat.*
*Quid sanctum patuisse domus, quid in ipsa receptum*
*Tecta loquar? quæ Musæo communia cœtu*
*Musarum antistes colis, & mediocria quamuis,*
*Maiestate tui supra omnia culmina, supra*
*Cæsarea ambitiosa altè fastigia tollis:*
*Tecta, mihi præ queîs tua vileat incluta Zeno*
*Porticus, ac tantum complexa Academia nomen,*
*Aut clarum variæ doctrinæ laude Lycæum,*
*Cuncta togatorum facunda aut atria patrum.*
*Nec dispar nostræ reliquæ sententia turbæ.*
*Quamuis ante alias tibi dedita factio plaudit,*
*Cui propiùs spectasse datum; tamen insimul omnis*
*Hic caueæ fauor, hæc plenis vox vna theatris.*
*Inuidiæ victor ferrugineiq́ue veneni*
*Omnibus es,* LIPSI, *mirabilis: omnia iunctim*
*Puncta caput docti te constituere senatus.*
*Quin tua te veterum penè obstruxisse triumphat*
*Ætas luminibus: quin tanto Belgica alumno*
*Turritum cælo caput infert, iamq́ue vetustæ*
*Helladis Italiæq́ue excelsos æquat honores.*
*Quid mirum? vt vario diuersa per ostia lapsu*
*Se gremio latæ confundunt Tethyos amnes,*
*Vuida maternis libantes oscula Nymphis:*

*Sic tibi (mira fides) cunctorum mista bonorum*
*Copia, sic largus mentem confluxus inundat;*
*Quæque alios hominum vix singula dísque parata*
*Condecorauerunt, in te stipata relucent.*
*Omnia solus habes: labris Dea Dædala Peitho*
*Insidet, atque suos instillat mellea succos.*
*Doctrina & virtus pariter (prô pulcra synoris!)*
*Illa augusta tui sacraria pectoris ædem*
*Delegere sibi: quoquò vestigia flectis,*
*Quicquid agis, certo sequitur pede dia Minerua,*
*Nec secùs in quouis felicem dirigit actu,*
*Nestora quàm Pylium, Laërtiademque heröa.*
*Illa etiam à primis vagitibus amplexata est,*
*Asseruitque suum: mox omni sedula curâ*
*Commisit Phœbo & Phœbi formare puellis.*
*Hinc de Pieriâ facias seu verba cathedrâ,*
*Quouis cumque animos Alcides Gallice ducis:*
*Siue premas calamum, calamo feliciùs illo,*
*Quem donum Cephalo dederat Latonia virgo,*
*Quidlibet assequeris; quidquid venare, potiris.*
*Hinc, vt Amalthea Nympharum munere cornu*
*Jugiter & pomis & odoro flore repletum,*
*Omnigenas tu mentis opes semperque vigentis*
*Ingenij fœtus auctumno perpete fundis,*
*Qui seclis prosint pòst omnibus, & longæuæ*
*Non metuant vmquam cariem tabemque senectæ.*
*Quid stabilis vitæ ratio, nec discolor vllâ*
*Parte, nec in vario variantes tempore mores?*
*Sed placidi semper, faciles duráque remoti*
*Tetricitate; quibus tantumnon prodigus, omni*
*Te vulgas populo, tua passim æraria pandis.*

*Quid*

*Quid Decor, & ſuaui quæ cuncta lepore venuſtat*
*Componitque pari Grauitatis Gratia librâ?*
*Nempe palàm ſtuduit Natura oſtendere in vno,*
*Quem voluit cunctis cumulatum excellere rebus,*
*Vnde ſatum mortale genus, quo ſemine oriundum,*
*Quoque tenus prodire queat, quæque vltima creta.*
*Sed quid tam vaſtum laudum inconſultus in æquor*
*Labor, & obſequio tenuis te lædo Camenæ?*
*Non ſunt apta meæ tam grandia vela carinæ;*
*Nec verò alterius, totam licet ille Aganippen*
*Hauſerit, inque iugis Parnaſſi exegerit æuum.*
*Non magè Vlyſſeum cuiuſquam viribus arcum*
*Quàm domini curuare fuit, nec Pelian vllis,*
*Præter Achilleos, pronum vibrare lacertis;*
*Quàm tua fas alij conſummatiſſima verbis*
*Ornamenta ſequi. condignè te tua tantùm*
*Muſa canat; cuius complecti anguſtia mentis*
*Haut valet, effari nec linguæ poſſit egeſtas.*
*Ten' igitur numero nos allegiſſe tuorum,*
*Dignatum menſæ ſecreto? méne beatum*
*Hoc apice & tanti mactatum culmine honoris!*
*Qui mihi communis cum paucis, qui mihi faſces,*
*Qui toga cum ſellâ rutilans prætexta curuli.*
*En quibus aſtringar vinclorum nexibus: en queis*
*Vndique circunder nodis, quos nec ducis anceps*
*Æmathij ferrum, nec vis Vulcania ſoluat.*
*Verùm, age, cæleſtem qui duxti largiùs ignem,*
*Cæleſtes imitatus opertos inſpice ſenſus,*
*Inſpice, quáſque agimus penito tibi pectore grates,*
*Ponderibus perpende ſuis, & prompta probetur*
*Ac veterem iuxta morem deuota voluntas.*

*Nec*

*Nec porrò vulgata fiet mihi fabula fraudi,*
*Fabula fuscarum culpâ sublata animarum,*
*Hæc modò grata tenus benefacta existere, citra*
*Dum spem soluendi consistunt; longiùs autem*
*Progressa in tenues euanida spargier auras.*
*Dum viuo & video, dum copula coniugiúmque*
*Corporis atque animæ diuortI ignara vigebunt,*
*Nulla erit hac nobis aut cura aut cautio maior,*
*(Per lapidem deiuro Jouem, per numina Phœbi*
*Et quarum cluet hic præses præstésque sororum)*
*Quàm ne sancta tui reuerentia claudicet hilum,*
*Quàm tua ne minimo violetur gratia næuo.*
*Sin mala me tantùm manus, & cui (prò pudor!) ingens*
*Hoc mundi Chaos atque ipse est obnoxius æther,*
*Ipsa suos etiam submittit Delia fasces,*
*Æmoniæ pestis (quod abominor) infatuaret,*
*Extremóque meam turparet crimine vitam:*
*Te Dea, te vindex scelerum Rhamnusia testor,*
*Infaustámque Aten, damnatorúmque ministras*
*Immites operum Eumenides, cuicumque daturum*
*Vltrò me noxæ generi, quæcumque volentem*
*Supplicia hausurum; Siculi tunc æra iuuenci,*
*Tunc formidatos tunicæ flagrantis amictus*
*Nullus defugiam: tum dirum Ixionis axem,*
*Augentemque famem dapibus, fecundáque pœnis*
*Viscera, cum vestris deposcam Belides vrnis.*
*Sed meliora Dij, sed ter monstra illa nefasque*
*Despuo: quæ fieri tum demum posse putabo,*
*Æternâ cùm lege Dei cumque ordine verso*
*Naturæ, tellus cælo diffusior, astra*
*Inferiora globo terræ, cùm flumina retro*

In

*In caput alta suum salsis à fluctibus ibunt.*
*Quòd si non prorsus similem popularibus vsti*
*Memnonis, Eoïque colentibus vltima mundi,*
*(Queis atro noctis sunt ora imbuta colore,*
*Lucida cùm primi nascentis tela diei*
*Excipiant, primi radiatum insigne salutent)*
*Et claro iubare & radiorum luce propinquâ*
*Nonnihil ille meus me Cynthius illustrarit:*
*Ac velut hoc solùm regio suprema calescit*
*Aëris, ætheriæ quòd sit contermina flammæ,*
*Fors itidem sacer hanc glaciem tepefecerit ardor,*
*Vicinúsque leuem stricturam diderit ignis:*
*Si non hoc animi, quod lumine conseris, aruum*
*Depositum fallet, siquid lætamine longi*
*Percoctum studij, commentandíque subactum*
*Vomere, venturis frugum profuderit annis*
*(Si modò venturos Lachesis mihi neuerit annos)*
*Quantulacumque tuis rationibus illaturus*
*Semper ero,* LIPSI *: septem quodque ille Sophorum*
*De numero petiit Milesius hostimentum,*
*Tu mihi tu solus memorabere fundus & auctor.*
*Te, te prælatum cunctis mortalibus vnum*
*(Sic dextrum mihi numen, & hæc ad cœpta secundum)*
*Eximio quodam cultu venerabimur; vni*
*Cælicolûm vt Regi fortissimus Æacidarum,*
*Certo cratere & proprio libabimus auro.*

## IN EIVSDEM NATALEM.

*CAstalios quisquis fontes & Musica labra*
*Accessit, liquidóque rigauit nectare mentem,*

*Cecropiæ pia turba Deæ, cui dedita mens est*
*In Sophiæ studiis, & pura in corde voluptas;*
*Eia, agedum, niueo iam quisque insignis amictu,*
*Incinctusque comas ederâ & Parnasside lauro,*
*Lætitiæ vultum mihi sumite, sumite cultum.*
*Templa Deûm reserate, coronatasque recenti*
*Flore aras nubes Panchæi turis inumbret.*
*Lux agitur, verè quam signet candida Eöi*
*Bacca maris, festis & fasti lucibus addant;*
*Lux bona,* LIPSIADEN *cui doctior imputat orbis;*
*Lux magna, humanis quá sese obtutibus ipsi*
*Vulgauere Dij. Summo nam venit Olympo,*
*Et dignata suo terras est corpore sancto,*
*Casta puerperiis quæ præsidet Ilithyia,*
*Vt maturatis prodiret nixibus infans.*
*Ipsa videbatur cari præuertere patris*
*Officium, manibusque suis de matre rubentem*
*Tollere & altrici protendere dia Leuana.*
*Innuba quinetiam Pallas, doctique Heliconis*
*Numina se pueri voluerunt sistere cunis,*
*Atque haurire oculis, qui mox suus esset alumnus,*
*Et famâ reliquis sic antistaret alumnis,*
*Vt matutinos præstinguit Lucifer ignes.*
*Si qua fides, ternas huc se penetrasse sorores*
*Narrant, atque aliis subtemen nentibus aureum,*
*Præmonuisse vnam diuino carmine Clotho,*
*Qui vagitantis splendor, quàm clara futura*
*Fama foret, quantumque olim voluentibus annis*
*Musarum studiis portenderet incrementum.*
*Hic puer, illa infit, hic erit velut ætherius Sol*
*Desubitò exortus, qui peplum soluet opacæ*
*Noctis,*

*Noctis, & in clarâ mortales luce locabit.*
*Per quem, sopitæ fuerant quæ turpiter artes,*
*Pulchriùs exsurgent, Augusteique resument*
*Maiestatem æui: per quem squallore remoto,*
*Abstersóque situ, scriptorum sæcla priora*
*Veros induerint habitus veteremque nitorem.*
*Gaudete illustres animæ, si quid modò, si quid*
*Iam sapitis, sensusque aliquis Acherunte sub imo est.*
*Aurea mens illi, vox dulcis tincta Suädæ*
*Nectare, & omne genus rara ac miranda bonorum*
*Congeries: vno se pectore cuncta recondent.*
*Varronis memini, docti memini Arpinatis;*
*Sed taceo. & tacuit cum dicto præscia Diua.*
*Salue cura Deûm. Sed & ô mea maxima cura*
*Ac desiderium: quem suspiramus, & vsque,*
*Ingenti quamquam dispescimur interuallo,*
*Visibus hinc animi tuimur tamen omnituentis.*
*Hæc tua lux & amœna tibi & genialis agatur,*
*Antiquumque tuum obtineas. nam scimus, & vnà*
*Commemini tecum festum hoc agitare suäue,*
*Vitigenumque hilarè Genio libare liquorem.*
*Ferrea non animi delibent tempora pacem,*
*Non vis morborum, non ærumnabile bellum,*
*Et nostræ, heu, minitans patriæ res vertere fundo.*
*Fortè breui meliora sequentur, moxque futurum,*
*Vt tantis stet pausa malis, aliquisve Deorum*
*Hos patriæ fluctus, hos tranquillauerit æstus.*
*Namque vices rerum (tua sit fas dicta referre*
*Hoc signata animo) sunt; & quæcumque geruntur*
*In terrarum oris, rapido ceu turbine semper*
*Versantur, nihilumque loco consistit eodem:*

*Ac veluti variat faciem Oceaneïa Tethys,*
*Nunc hiemante mari, cæloque minantibus vndis,*
*Nunc iisdem placidis & leniter æquore strato;*
*Hæc itidem alternare volunt & vertier vsque*
*Fati lex æterna atque immutabilis ordo.*
*Ipse vnus sapiens sibi constat: cumque minetur*
*Horrida tempestas supra caput, ille futuri*
*Securus fruitur præsentibus; ac pote quantum,*
*Curasque luctusque animorum cæca venena*
*Declinans, placidum tranquillumque exigit æuum:*
*Secreto assimilis mundo summum aëra supra*
*Lunaremque globum, quem numquam grando niuesque*
*Horrificant, numquam vis fulminis ignea flammat,*
*Non agitat Boreas, non imbricus Auster; at vnum*
*Obtinet ac nullâ violatum nube serenum.*
*Seria sed valeant hodie valeantque seuera:*
*Absit sollicitus sermo, nec fabula mæsta*
*Obscurâ nitidam temeret ferrugine lucem.*
*Nulla hodie occurrant atri vestigia luctus,*
*Obscæuetque nihil. per sudum nulla vagentur*
*Nubila, siluifragus requiescat flamina Caurus,*
*Atque ingens placidum stagni stet more profundum.*
*Desinat argutam Pandione nata querellam:*
*Desinat & lessum coniunx miseranda Ceycis.*
*Ipsam arescentem spectet Sipyleïa pubes*
*Tantalida, & lachrimam stupeat non depluere vllam.*
*Largior at solito laticum fluat Aönius fons,*
*Et plus Pierij saltus siluæque virete.*
*Omnia lætitiæ sint nostræ adfinia: fausta*
*Passim verba sonent, plausus atque omnia læta.*
*Hoc ius, hoc fas est: tu porrò candide sæpe*

*Natalis*

*Natalis redeas; tu feste & fauste dierum,*
*Iucundumque habeat seris te* LIPSIVS *annis,*
LIPSIVS *Adriaci qui vincere pulueris annos*
*Pluriaque est dignus viuendo condere secla.*

## QVERELLA ABSENTIÆ.

*QVid me nunc urbis strepitum fumumque quiete*
*Mutasse & cælo liberiore iuuat?*
*Quid ruris secreta, quid optata otia prosunt,*
*Et sopor ad fontem lenè strepentis aquæ?*
*Quò mihi natiuos prati ridentis odores,*
*Quósque leui spirant à pluuiâ segetes?*
*Quò liquidas auium voces per frondea tecta,*
*Cùm matutino rore madescit humus,*
*Si procul à Musis, abs te cultissime* LIPSI,
*Dego rudes inter dissimilésque mei?*
*Si te mens animi miserè cupit & suspirat?*
*Quo nil Sol spectat doctius & melius:*
*Humanam suprà qui mensuramque modumque es,*
*Atque ita sim felix, Numinis instar habes.*
*Quicum vnà quoties, aurâ inuitante Fauonl,*
*Grudia non celeri culta pererro pede,*
*Sermonemque bibo suspensis auribus omni*
*Conditum Sophiæ Piëridumque sale,*
*Sermonem Hyblæo stillantem melle, quod ipsa*
*Adspersit Peitho, quod Venus & Charites,*
*Protinus exuitur quicquid dolet, atque animo omnis*
*Prorsus amarities & scabitudo fugit,*
*Quicquid & internam pacem delibat, ab herbâ*
*Ceu Lacedæmoniæ lætificante Helenes;*

*Inque vicem purâ pectus dulcedine tangor,*
*Quæ sit vel dulci dulcior ambrosiâ:*
*Cætibus & qualem cælestibus assumptorum*
*Percipere Heröum credibile est animas,*
*Concilio Diuûm cùm Jupiter ora resoluens*
*Resque hominum pandit fataque tam varia:*
*Sollenni aut epulo, cùm quà præclara Deorum*
*Dona canunt molli voce Heliconiades,*
*Quà tenerum argutâ testudine carminis auctor*
*Carmen mobilibus temperat articulis.*
*O niueam quæ tanta reducet gaudia lucem!*
*O mihi felicem terque quaterque diem!*
*Quòd si fatorum lex durior intercedet,*
*Summaque habent summi numinis imperia,*
*Me longè externas aliquando diuidere oras,*
*Expertemque tuis, ah, facere alloquiis,*
*Tum nec arena Tagi me tota, nec aurifer Hermus*
*Thesaurique iuuent diuitis Arabiæ:*
*Nec magè Sidonio saturatæ murice vestes,*
*Lectaque Erythræis bacca sub æquoribus:*
*Nec domus ampla, vbi eburque renideat atque argentum,*
*Et ferat auratas Afra columna trabes,*
*Assiduè populo quæ concelebretur, & omni*
*Mane salutantum perstrepat officiis:*
*Quicquid & est horum, quæ Janus summus ab imo,*
*Nec nemo è vulgo suspicit atque stupet.*
*Hæc alius cupiat atque æstimet, improba quanti*
*Ambitio taxat stultaque auaritia,*
*Quæ neque curarum strepitum mentisque tumultus*
*Sedant, & repetit perfida sæpè Dea.*
*At mihi sit (voti summa hæc) te,* PRIMA VIRORVM,

*Simplice*

*Simplice vel cultu, sis vbicumque, frui:*
*Sis vbicumque, domum seu perpetuò vrbicam habebis;*
*Seu, dudum quod auos, auia rura coles:*
*Seu certum, in patriâ sortem quamcumque manere,*
*Siue erit illa bona, siue erit illa mala:*
*Seu potiùs, statione alibi te condere tutâ,*
*Dum venti ponunt, dum fera lenit hiems.*
*Tecum ego nam possim vel regna niuosa Aquilonis,*
*Aduersi fines vel penetrare Noti;*
*Et siue Hesperios stabile est seu visere Eöos,*
*Visere & Eöos, visere & Hesperios.*
*Ergo iam vallésque mihi collésque valete,*
*Aruaque quæ vestit iam resecanda Ceres.*
*Ergo silua vale, cuius ego tutus in vmbrâ*
*Defendi capiti torrida solstitia:*
*Silua vale, toties quâ nulli debita curæ*
*Moráque cum fragis legimus & cerasa,*
*Capripedésque salax Faunos genus & Satyriscos*
*Vidimus arte vagas prendere Hamadryadas.*
*Ite procul teneris cum fœtibus, ite capellæ;*
*Iam vestri satias me tenet ac pecoris:*
*Non ego vos posthac pendentes rupe videbo,*
*Bucera nec vallem sæcla per irriguam.*
*Sed neque vos alacri iuuenes contendere cursu,*
*Missilibúsve scopum figere arundinibus:*
*Nec molleis choreas, nudâ cùm rustica surâ*
*Virgo leues scitè subsilit ad numeros.*
LIPSIVS *antistat rebus longè omnibus vnus:*
*Hoc omnes vno sunt mihi deliciæ.*
*Hîc nos te subigat Rhodopeïe deserere Orpheu,*
*Atque Amphioniæ dulce melos cytharæ:*

*Tu quamuis blandus auritas ducere quercus;*
*Hic lapides cantu mouerit & scopulos.*
*Ac veluti Clytien Sol aureus, atque Erymanthis*
*Jugiter Herculeum stella trahit lapidem:*
LIPSI *me virtus rapit incluta, & obstupefactum*
*In se admirandis figit imaginibus.*

## IN SENECAM A I. LIPSIO RESTITVTVM.

*ANtiqui monimenta Sophi, quo sidera tangit*
*Et Pandioniis vrbs Martia certat Athenis,*
*Indignis affecta modis, multisque pudendùm*
*Manca & hiulca locis; sed & aspera vulnera passa*
*A Criticorum obelis & auari dentibus æui*
*In medio leti quasi limine versabantur,*
*Jam tineis deuotæ epulæ blattæque voraci.*
*Non tulit hoc, reliquis tacitè mussantibus, ardens*
LIPSIADAE *virtus, quæ passim sternere monstra,*
*Quæ coniuratas acies atque agmina contra*
*Barbariæ ire solet, totamque immane furentem*
*Ac tumidam imperio & latè dominantibus armis*
*Versa fugâ dare terga subegit, & excellentes*
*Restituit Latio ciues, orbique magistros.*
*Ille atrox prodire nefas haud passus, & hocce*
*Tam detestando temerari crimine sæclum,*
*Occupat auxilium, & notas accingitur artes:*
*Noxia queis gangræna ac tabida serpere pestis*
*Desiit vlteriùs: queis cruda & hiantia latè*
*Sicut Apollineis coïerunt vulnera succis:*
*Stigmata queis faciesque cicatricosa recessit,*

*Inque vicem nitida illa ac germanissima forma,*
*Carmine ceu magicæ've redIt Titanidos herbis.*
*O sacer, ô magnus* LIPSI *labor, optima leto*
*Eripere, integramque colum & noua condere fata!*
*Nam verè mors est geminata atque altera Parca*
*Scriptorum interitus: quibus auctor quippe superstes*
*Ipse sibi, Famæque æternùm viuit in ore.*
*Scilicet hi fructus, hæc præmia digna laborum,*
*Bis Stygios innare lacus, bis turpia monstra*
*Formidare Erebi, nec fungi simplice fato.*
*Verùm hæc vt paueant alij; tibi nulla timenda*
*Magne tamen* LIPSI: *te tutum viuida virtus*
*Inque alios præstat pietas: tibi nescia lædi*
*Membra, tibi nullo corpus penetrabile telo:*
*Quale tuum Perrhæbe, tuum Neptunie Cycne.*
*Si non ergo nigris miscentur cuncta fauillis,*
*Si mens, vt certum, cineri bustoque superstes,*
*Desuper ex altâ mortalia despicit arce,*
*Quis tibi nunc,* ANNAEE, *videnti talia sensus,*
*Quídve modò est animi, cùm præstantissima cernis*
*Ingenij monimenta tui, iam penè sepulta,*
*Ac tristi cinefacta rogo, dubitata tueri*
*Astra & succiduo meliùs splendescere cultu?*
*Cùm prodire iterumque virùm volitare per ora*
*Scripta tui sanctos animi testata recessus,*
*Vnde velut diti fluxerunt aurea venâ:*
*Scripta, quibus sacro Virtutis pectora thyrso*
*Percussa exstimulas, pulchroque Cupidine honesti*
*Vel supra Alpinas inflammas algida ningueis.*
*Virtutem solam dum concinnare beatos*
*Posse doces: hanc & tranquillâ in luce locare*

*Et veris cumulare bonis, quæ turbine nullo*
*Fortuna excutiat, quæ firma & fixa perennent:*
*Cetera quæ vulgum capiunt ceu grandia, paruæ*
*Esse rei, fucum titulo faciente decoro.*
*O ter & ô quater hoc felicem in vindice! quo se*
*Porget ab Occasu rediuiuum nomen ad Ortum,*
*Nullaque venturis dispendia sentiet annis.*
*Corniger vt quondam Laurente Numicius orâ*
*Ænean Anchisiaden iam cærula cæli*
*Sidereasque domos spectantem mortis ab omni*
*Labe priùs liquidis in fontibus expurgauit:*
*Vt Thetis in mœsti nimiùm solatia nati*
*Nectaris ambrosiæ confuso rore iacentem*
*Imbuit Actoriden, & cassum lumine corpus*
*Integrum ad seros tumuli seruauit honores:*
*Ille tibi quicquid luteæ superabat ab vdâ*
*Fæcis humo, quicquid reliquum contagis inesset,*
*Eluit, æternaque dedit vernante iuuentâ*
*Securum immanes æui contemnere vires.*
*At benè te,* LIPSI, *benè te, cui cura mereri*
*De multis benè, & officiis commune iuuare:*
*Qui velut astrorum dominus, velut ætherius Sol*
*Ingenij radiis ardentibus abdita claras,*
*Obnuptásque altâ soluis caligine mentes.*
*Te lemniscatæ decora ambitiosa coronæ*
*Gemmatique premant orbes: tua tempora mille*
*Circumeant laurus: tibi ceræ & magna elephanti*
*Congeries, varij tibi pondera vasta metalli*
*Et picturatis animentur marmora venis:*
*Omnis te celebret Phœbi Chorus: ingeniorum*
*Omne tibi cesset genus, & persoluere tantis*

Mer-

*Mercedem meritis immißis certet habenis.*
*Ipse quidem paruâ facio tibi pauper acerrâ,*
*Vilibus & Samiis ad nudi ceſpitis aram;*
*Sed puris herclè manibus, ſed pectore caſto.*
*Ac veluti cùm magna caput contingere ſigna*
*Altè educta vetat moles, tum ponitur imâ*
*In baſe florentis donum ſollenne corona:*
*Sic nos tantarum ad faſtigia ſurgere laudum,*
*Temporáque & ſacros inopes incingere crines*
*Floridula ante pedes deponimus hæc tibi ſerta:*
*Serta, mihi nuper quæ concinnata reductâ*
*Phocidos in conualle ſub vmbrifero Parnaſſo.*

## ALTERVM APOBATERION.

*ERgo tanti erit è patriæ decedere flammâ,*
*Ac fortunatas rurſus adire plagas?*
*Tanti erit æternâ ſedem mihi figere in vrbe*
*Inque clientelâ principis eſſe viri,*
LIPSIVS *vt linquatur? hic editus ex Ioue ramus?*
*Palladis hic myſtes atque Heliconiadum?*
*Qui me præcipuo complexus amore, parentem*
*Tantumnon operâ conſilioque gerit:*
*Quem præter cunctos ego diligo, próque parente*
*Obſeruo atque piis proſequor officiis.*
*Diſpice ſis anime, & totum benè diſcute tecum,*
*Nilque inconſulto quicquam age conſilio.*
*Nam temerè quiſquis rem cœptat & impete cæco,*
*Turpiter hunc paullò pòſt piget atque pudet.*
*Omnia ſunt penſanda, vagi nec fluminis vnda*
*Stultè intentato eſt ingrediunda vado.*

 *Sed*

*Sed quid ego hæc toties nequicquam vulnera tracto?*
*Quid toties vnum hunc me refero ad scopulum?*
*Nil iam nil horum me fallit, & omnia mecum*
*Sæpè volutaui corde animoque prius.*
*Sentio quæ faciam dispendia, quo cruciatu*
*Mæstum hoc afficiet me modò discidium,*
*Cùm lacrymis sparsus rorantibus osque genasque,*
*Triste inclinatâ voce iterabo Vale:*
*Vt desideriis post factum ingentibus ictus*
*Ipse accusabo meque meumque abitum.*
*Sed tamen est fundus mihi* LIPSIVS: *ille futurum*
*Vtibile atque in rem deputat istud iter.*
*Imò etiam iurat, melior sibi sanguis & ætas*
*Esset, in afflictâ non fore diu patriâ;*
*Sed grata exsilia & felicia quæsiturum,*
*Quæ Diui nondum deseruere, loca.*
*Hoc hoc auspicij satis est, non vos ego vates,*
*Non ego vel lituos templaque vestra morer:*
*Non ego pensi habeam, pecudum quid fibra minetur,*
*Quid creperi fati prouida cantet auis.*
LIPSIVS *est nobis augur, Chaldæus, haruspex:*
*Hic mî de cælo seruat, hic exta spicit.*
*Huic ego dum lito, Phœbe tuos ignoro profatus:*
*Nil mihi cum monitis Iuno Moneta tuis.*
*Nec caussa est, illum cur credam abeundo relinqui;*
*Pectore gestabo tempus in omne meo:*
*Et cùm disiunget tantum terræque marisque,*
*Mente indiuiduus, mente ego iunctus ero.*
*Semper inerrabit sermonum vena Venusque:*
*Semper inhærebunt aurea tot monita.*
*Quin etiam coràm velut aspectare videbor,*

*Et*

*Et dicam, Sic fert ora, manus, oculos:*
*Morumque effigies occurret, & illa suaui*
*Temperie lenis lętáque ſerietas:*
*Illud neſcio quid mentes inflectere præſens,*
*Et capere, vt magico ſaga miniſterio.*
*Nec me deficiet quoſuis accurrere Belgas,*
*Pænula quosque teget, cauſia quóſque teget,*
*Omnibus atque habitis poſt rebus, quærere id vnum,*
*Dicite dum, Rectè* LIPSIVS *an'ne valet?*
*Ingenuéque oculos ipſi debere fatebor,*
*Atque adeò nexu & mancupio eſſe ſuum.*
*Euentura loquor: ſpirare abſiſtite venti,*
*Nil vobis ſcritur, nil nebulæ aëriæ.*
*Sic longum mihi iter Dij fortunate viales,*
*Quod grauibus me angit ſollicitudinibus:*
*Sic tutò Alpinas mihi ſit transſcendere rupes,*
*Et cælo atque ſolo reddier Italiæ,*
*Pacatáque olim patriá carisque fruiſci,*
*Et ceſſare meis vſque* Heliconiaſin.

## LACRYMÆ IN FVNERE IVSTI LIPSI.

*FErales numeros & lamentabile carmen*
*Ægro animo, nigráque obſeptus nube doloris*
*Ordior. An Cyrrham mihi fas atque antra mouere*
*Delia? an Aönias precibus ambire ſorores?*
*Et ius & fas eſt. nec enim parua vmbra cietur;*
*Manibus, heu, lacrymas* LIPSI *damus, illius olim*
*Myſtæ Phœbe tui, atque tui, Polyhymnia, cœtus.*

*Ergo seu rupes vos Thespia, siue biuertex*
*Parnassus, doctíve tenent iuga sacra Heliconis,*
*Seu nemorum ramosa domus, secretáque sanctæ*
*Castaliæ, secreta animis gratissima vestris,*
*Sufficite infando vocem ingeniúmque dolori.*
*O nostrum quondam* LIPSI *decus! ô mihi cari*
*Patris amate vicem, quis te rapit, heu, mihi liuor?*
*Quis festinatis, heu, sic intercipit annis?*
*Siccin' abis nostri sidus mirabile sæcli,*
*Siccin' abis, nec te pòst vsurpare licebit*
*Ampliùs hisce oculis? non auscultare loquentem,*
*Et dignas adytis voces dimittere in aures?*
*O Atlantiade, & cum virgine Phœbe patrimâ,*
*Vos decuit, decuit vos intercedere iussis.*
*Fatorum & vestro noxam defendere alumno:*
*Quò nil Cecropiæ tulerunt præstantius arces,*
*Nil Latium vetus atque nouum, nil Gallia triplex.*
*Qui dignus Pylias æui contingere metas,*
*Atque omni tandem posito senióque situque*
*Æsonis in morem reuirescere, siue Iölai.*
*Saltim cygneam si vocem & iussa fuisset*
*Excipere, atque aliquod supremo tempore fungi*
*Triste ministerium: si prono colligere ore*
*Effugientem animam, caligantésque propinquâ*
*Claudere morte oculos, mœstúmve subire feretrum,*
*Solamen tanto sit lenimenque dolori.*
*Nunc est omni expers fomento plaga, nec vllâ*
*Ad sanum coitura die: nunc prorsus in ima*
*Viscera totum ensem & vitæ secretà recepi.*
*Nec certè Ægiden grauioribus externauit*
*Luctibus interitus letúmque parentis acerbum,*

*Quàm*

*Quàm me nigra dies properatáque funera* LIPSI.
*Nam quamuis nullá consanguinitate propinquum,*
*Hic me non alio complectebatur amore,*
*Quàm si sanguis ego verè ipsius: omnia nobis*
*Vnus erat, quæ læua mihi simul omnia Diua*
*Abstulit. O vbi nunc amor ille & cura paterna?*
*O vbi spes, vbi votorum mensura meorum?*
*Arx vbi præsidiúmque meum? quo sospite ouabam*
*Toto animo, cælúmque manu contingere rebar:*
*Pampinus vt palmesque tener, cui grandior vlmus*
*Firma pedamenta & ramorum fulcra ministrat,*
*Mox animos tollit, mox dulceis cogitat vuas:*
*Ah, quis apex animi nunc internuncius ibit?*
*Quis dubio responsa dabit? quis fulgida cæcis*
*Errorum in tenebris præpandet lumina menti?*
*Quis varios ægri sedabit pectoris æstus*
*Dulcibus alloquiis, postliminióque reuersum*
*(Si quando hoc voto Superis damnabimur æquis)*
*Excipiet, blandisque premet mea colla lacertis?*
*O cælum! ô tellus! ô salsipotens Neptune!*
*Omnia mî periere, illi cùm lumen ademptum,*
*Qui mihi lumen erat; iam nox manet atra dolorum,*
*Omnia iam tristi mihi tempora felle madebunt.*
*Nec me sacra iuuent, quorum percussus amore*
*Antè fui; valeant mea quondam gaudia Musæ.*
*Tantùm flere lubet; luctum pro* LIPSIO *amabo,*
*Et rudibus cantabo modis lacrymabile carmen,*
*Quale vel Alcyones in littoribus desertis,*
*Vel sub populeâ modulatur Daulias vmbrâ,*
*Pignora cùm nido detraxit callidus auceps.*
*Ipsæ cum socio Charites grege Fontigenarum*

*Tam*

*Tam cari capitis queritantur præcoque fatum*
*Et gemitu & lacrymis & luctisono concentu,*
*Castaliisque timent posthac ne fontibus humor*
*Desit, & assuetas silua arida deneget vmbras.*
*Adde & Musarum comites, & quotquot vbique*
*Virtuti Sophiæque litarunt, omnibus ægrè est,*
*Omnes excessu* LIPSI *tenerè illacrymarunt.*
*At misera ingeminans lugubres Belgica lessos*
*In cælum & Superos liberrima verba profundit*
*Dirumpitque sinus, nudataque pectora plangit,*
*Aut deturpatos laniat sibi puluere crines,*
*Luctu amens, tumuloque inconsolabilis hærens.*
*Elysium contra Chaos & iucunda vireta*
*Fortunatorum nemorum tanti hospitis ergô*
*Lætitiâ plausuque fremunt: hunc agmina stipant*
*Semideûm Heroum: hunc certatim vndeundique magnæ*
*Aduolitant animæ, mirabundæque pererrant*
*Luminibus tacitis, sociumque adiungere gaudent:*
*Haud aliter quàm cùm feto patris edita busto*
*Prodit auis, magni tendens per inania mundi*
*Ad Ptolemaëas Arabum de finibus oras,*
*Alituum coit omne genus, solisque volucrem*
*Attonitæ denso circum agmine conglomerantur.*
*Salue supremùm Suadæ illibata medulla,*
*Doctrinæ Sophiæque penus, clarissima prisci*
*Fax æui, & veterum scriptorum acerrime vindex,*
*Humano propè maior, & egregium indulgentis*
*Naturæ specimen,* LIPSI *optime maxime salue,*
*Supremumque vale, facilisque hos pectore ab imo*
*Depromptos gemitus atque illætabile murmur*
*Accipe; si mea non odiosa ingrataque quondam*

*Musa*

*Musa fuit; si te mappam mittente, tuisque*
*Auspiciis primùm spatia hæc decurrere cœpi.*
*Accipe quod præstare Diis hîc manibus vnum*
*Officiosa potest pietas, quæ soluere iusta*
*Mens ægra ac magno valet oblimata dolore.*
*Posteriùs cùm me patriæ fors prospera reddet,*
*Cottidie tua busta salutaturus adibo,*
*Et benè, mi Doctor, repetam placidéque quiescas:*
*Cottidie flores serti simul atque soluti*
*Plenis spargentur calathiscis, vrnáque felix*
*Myrrhâ & Achemenio semper stillabit amomo.*
*Semper apud memorem meritorum gratia stabit,*
*Et sincera tui reuerentia. Non potes vllos*
*Parca ferox magno fines præscribere amori,*
*Non potes; ipsa suis paret mens legibus, omni*
*Libera hero, nullis docta inseruire lupatis.*
*Quid libri? quid scripta? quis illus marmora & altos*
*Pyramidum sumptus animosáque conferat æra?*
*Hæc ferro, hæc flammâ fugitiuorumque caduca*
*Ictibus annorum; nulla illis tempora, nullæ*
*Sunt metæ: quæuis leget ac mirabitur ætas.*
*Namque olim Genio sunt nata Diisque secundis,*
*Sæpiùs & dio rore imbuit alma Iuuenta.*

TAntum est: nec istis de Heröe nostro, quod eò non pertineat, adiici quicquam decorè posse videatur. Corollarij tamen vice attexam Elegeidion ad suauissimum & optatissimum fratrem meum: non musteum illud quidem atque recens, sed ante triennium, cùm in Italiam ex Hispaniâ traiiceret, ad eum

missum. Discupio enim aliquod hîc exstare amoris & grati in ipsum animi monimentum, qui tum artifici manu, tum acri certoque iudicio non parùm in Electis me iuuit.

## AD PETRVM PAVLLVM RVBENIVM nauigantem.

*Non sic Æmonio trepidauit mater Achilli,*
*Cùm Laërtiadæ cognitus indicio*
*Pro Menelaëâ sumpsit bella horrida causâ,*
*Et præceps arces iuit ad Iliacas:*
*Non sic dilecti discrimine mota mariti*
*Penelope, Graiæ fama pudicitiæ,*
*Spumantem quoties Maleam atque Capharea saxa,*
*Iöniique audit tanta pericla maris:*
*Nec sic Ægæo posuit qui nomina ponto*
*De caro Thesei sollicitus capite,*
*Dum soluit patriis à littoribus Pyræi,*
*Androgeoneis manibus inferiæ:*
*Quàm modò magna tui diuexat cura meum cor,*
*O mihi vel luce hac frater amabilior.*
*Tyrrhenum te nunc paruâ trabe currere marmor*
*Et maris, heu, fluxæ credere te fidei!*
*Nunc vbi ventorum vis horrida debacchatur,*
*Infestisque hiemant æquora sideribus.*
*Ah, gemat æternùm, qui primus, naue paratâ,*
*Ausus in immenso velificare salo.*
*Hinc nos ludibrium facti pelagique notique:*
*Hinc immaturæ mortis aperta via.*

*Hectora*

*Hectora qui magnum sæpè & Phrygia agmina contra*
*Inuicto steterat cum Telamoniade*
*Locrorum ductor, nimiá vi mersus aquarum*
*Littoreis iacuit fœda rapina auibus.*
*Et tibi, quá cunctis mortalibus antistabas,*
*Quid versutia, quid prouida mens, Ithace,*
*Ionio in magno valuit? longè tibi longè*
*Tum fuit, heu, dolus & callida consilia.*
*Nec tibi litterulæ, mi frater, nec tibi quidquam*
*Vena vigorque acris proderit ingenij:*
*Nec manus artifices effingere docta figuras,*
*Ac vel Apelleis pingere par tabulis.*
*Diique Deæque omnes, qui cæli lucida templa,*
*Qui terram colitis, qui mare nauigerum,*
*Et vos ante alios, Tyrrhenum quos penes æquor,*
*Ferte salutarem (namque potestis) opem.*
*Formidata rati defendite sidera, nimbos*
*Quæque solent, pelagi quæque ciere animos.*
*Æoliam rabiem metuat malè barbarus atrox,*
*Et cui non puræ sacrilegæque manus.*
*Ille nigri fremitum ponti horreat: ille minantes*
*In cælum fluctus pallidus aspiciat.*
*At tibi nec subitis quid peccet motibus Auster*
*Nosse sit, & quantus detonet Oärion,*
*Nec miserá tacito iam mussante arte pauore*
*Optatos trepidè quærere Tyndaridas;*
*Sed ridente salo & modicè vibrantibus vndis*
*Leniter adspirans aura secunda ferat,*
*Grata coronatá dum admotá ad littora prorá,*
*Æquoreis votum dissoluatur heris.*
*En erit, vt veniat lux hæc properantibus horis,*

*Hic radiet niueis Delius alitibus?*
*En erit, vt fratri curram obuius, & venienti*
*Iucunda haec manuum vincula vt iniiciam?*
*Tum mihi fulua Tagi venient sub tecta fluenta,*
*Eöique legam dona opulenta maris.*
*At nunc, heu, misero peracescunt omnia: nulla*
*Non mala, te rursum dum potior, patior.*
*Quin etiam studia haec, queîs nil acceptius antè,*
*Et quascumque odi delicias animi:*
*Solis & ipse parùm, mihi crede, est lucidus orbis,*
*Luridaque obtusis cornibus ipsa soror:*
*Obscuri astrorum, quibus æther pingitur, ignes;*
*Ipsi etiam melli fellis amaror inest.*



CEN-

# CENSVRA,

PHILIPPI RVBENI Electorum Libros duos, eiusdemque ad IVSTVM LIPSIVM Poëmatia, ab eruditione & elegantiâ commendo, ac publicâ luce & lectione digna censeo. Antuerpiæ, Id. Nouembr. M. DC. VII.

*Laurentius Beyerlinck S.T.L. Ecclesiæ Cathedralis Antuerp. Canonicus & Censor.*

## SVMMA PRIVILEGII

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est, nequis *Philippi RubenI Electorum libros duos, eiusdémque ad* IVSTVM LIPSIVM *Poëmatia,* præter voluntatem Ioannis Moreti, typographi Antuerpiensis, intra sexennium excudat, aut alibi excusa in inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XV. Nouembris M. DC. VII.

Signat.

*Buschere.*




ANTVERPIAE,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

cIↃ. IↃC. VIII.




LABORE ET CONSTANTIA







